Digitized by Google

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
150
K
18

Google

XXII.* C 70

102.q.50

Digitized by Google

HISTORIA
GRÆCARUM et LATINARUM
LITERARUM.

ET ITEM

ΗΡΟΔΟΤΟΣ Ο ΑΛΙΚΑΡΝΑΣΣΕΥΣ

ΠΕΡΙ

ΟΜΗΡΟΥ

ΓΕΝΕΣΙΟΣ, ϗ ΗΛΙΚΙΗΣ, ϗ ΒΙΟΤΗΣ.

Digitized by Google

(Lately publiſhed, in Two Volumes Folio.)

SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM HISTORIA LITERARIA, a Chriſto nato uſque ad Sæculum xiv. facili methodo digeſta.

Autore GULIELMO CAVE, S. T. P. Canonico Vindeſorienſi.

Cum APPENDICIBUS.

Editio noviſſima, ab Autore Ipſomet ante Obitum recognita, et auctior facta.

OXONII, E *Theatro Sheldoniano*, ; Impenſis JOSEPHI POTE, Bibliopolæ ETONENSIS, & apud quem proſtant venales.

N. B. The Learned are deſired to take notice, that the ſeveral Editions of the *Hiſtoria Literaria*, printed at *Geneva*, *Cologne*, and other foreign Parts are very defective, and of no Value, neither can they be quoted with Authority: That the Improvements and Additions made by the learned Author to this Edition printed at the *Theatre* in *Oxford* are greatly material, and make at leaſt a fourth Part of the whole Work: The preſent Edition has alſo received farther Improvement, by large and uſeful Notes, and other *Addenda*, by the late Reverend Dr. *Waterland*, under whoſe immediate Care and Direction it was printed; alſo by the Reverend Dr. *Chapman*, Dr. *Biſhop*, Dr. *Walker*, and other learned Gentlemen, who, for the Benefit of Learning, and from a due Regard to the Author, and this his moſt eſteemed and learned Work, intereſted themſelves in the preſent Publication.

Digitized by Google

HISTORIA
GRÆCARUM et LATINARUM
LITERARUM.

JOANNIS REINOLDII, S.T.B.
E Beatae Mariae Etonenſis Regalis Collegii Sociis,

DISSERTATIO.

Accedit

ΗΡΟΔΟΤΟΣ Ο ΑΛΙΚΑΡΝΑΣΣΕΥΣ

ΠΕΡΙ

ΟΜΗΡΟΥ

ΓΕΝΕΣΙΟΣ, ϗ ΗΛΙΚΙΗΣ, ϗ ΒΙΟΤΗΣ.

Veneunt ETONÆ, apud JOSEPH. POTE, Bibliopolam.
MDCCLII.

Exemplaria ſolummodo 250 excuſa fuere.

Digitized by Google

VA1 1509071

Digitized by Google

AD

LECTOREM.

QUUM aliquando mecum etiam atque etiam cogitabam quam plurima ad vitam utilia, in rebus privatis, publicis, ſacris, quæ per *literas* nobis conciliata ſunt; paucis *literarum* notis nos cum amicis, qui abſint ab nobis longè ac diu, ſermonem habere; harum beneficio nos ſcire poſſe antiquiora memoria noſtra, omnia quæ antè facta ſint, quam nos nati eſſemus; neque ita vivos cum præteritis modò, ſed etiam mortuos cum futuris præſentes eſſe; has enim poſſe ſubſidio oblivioni eſſe; has denique mederi animis; hæc, inquam, in animo cogitantem magna in me inceſſit cupiditas quærendi, unde *literas* habuerimus, ſi poterat reperiri. Poſt Gallos, noſtros etiam Britannos accepiſſe ab Romanis literas, illico cognovi. ſed unde eſſent *literæ* Romanis ac Latinis, non ita facile erat ſcitu. itaque magna cum cura & diligentia omnes ſcriptores, quos de hac re

viderem

viderem ſcripſiſſe, legendo percurri; atque ex iis, quæ vera, atque ita uti res fuit, mihi videbantur dicere, excerpſi, & collecta ſimul in unum concluſi locum, ubi noſtram faciunt *Hiſtoriam Literarum.* compoſui autem fere abhinc annos viginti, aut plus eo; ex quo quidem tempore aliquot amicis, viris doctis, legendam dedi; ex quibus erat qui approbavit, alii verò illam exoptabant argumentis, quibus tota innixa eſt, confirmatam videre. His ergo morem gerens, atque horum parcens labori, conquiſita ſimul propoſui, quæ, amice Lector, habes in capitibus *Hiſtoriam* ipſam ſequentibus; quibuſcum perlecta *Hiſtoria*, plus quod de hac re tibi ſatisfaciat, quam apud alium quemvis ſcriptorem in omnibus, quam ipſum cujus *Diſſertatio de Literis* multo poſt noſtram *Hiſtoriam* compoſitam data eſt foras, te hîc inventurum ſpero & confido.

DE

Digitized by Google

DE

Græcis et Latinis Alphabetis;

SIVE

HISTORIA LITERARUM.

EX Alphabeto Phœnicio, à Cadmo in Græciam illato (Cap. 1.) literas xxii habente, ut ex Pentateucho patet Samaritano (Cap. 2.) (à Pelaſgis primùm, quibus primùm earum ad ſuam enunciationem tranſlatarum uſus innotuiſſet, (Cap. 3.) atque unde in Italiam primùm tranſvectæ ſunt, (Cap. 4.) deinde ab Ionibus priſcis, forma literarum aliquantum immutata) (Cap. 5.) averſis ut plurimùm Phœnicum literis antiquiſſimum Græcum Alphabetum. (Cap. 6.)

	Phæn. Litt. Nomina.	Form. Litt. Græc.	Poteſtas.	Nomina.
1.	Aleph	Α	a	Alpha
2.	Beth	Β	b	Beta
3.	Gimel	Γ	g	Gamma
4.	Daleth	Δ	d	Delta
5.	He	Ε	ē ĕ	Ei (Cap. 7.)
6.	Vau	F ϛ	f v	Digamma [a]
7.	Zain	Ζ	z	Zeta [b]
8.	Heth	Η	h	Hetha [c]
9.	Jod	Ι	i	Iota
10.	Caph	Κ	k	Kappa [d]
11.	Lamed	L in Pelaſg. Alph. Λ in Ion.	l	Lamda
12.	Mem	Μ	m	Mu
13.	Nun	Ν	n	Nu
14.	Ain	Ο	ō ŏ	Ou (Cap. 7.)
15.	Pe	Π	p	Pi
16.	Koph	q ϙ	k q	Koppa [e]
17.	Reſh	Ρ	r	Rho
18.	Sin	Σ	ſ	San & Sigma [f]
19.	Tau	Τ	t	Tau [g]

Digitized by Google

[a] *Not.* 6. *Digamma* in Alphabeto Pelaſgico, unde ad Latinos tranſiit. (Cap. 8.)

[b] *Not.* 7. *Zeta*, tum in Alphabeto Pelaſgico, quòd, ut Velius Longus ſcribit, inveniatur in carmine Saliari; tum in vetere Ionico, ut refert Ariſtoteles apud Plinium, unde etiamnum ſervat ordinem in Græco Alphabeto hodierno. (Cap. 9.)

[c] *Not.* 8. *Hetba*, tum in Alphabeto Pelaſgico, unde acceperunt Latini et in eorum Alphabeto ordinem ſervat; tum in vetere Ionico ante Simoniden. (Cap. 10.)

[d] *Not.* 10. *Kappa*, in vetere Ionico Alphabeto, ut ab Ariſtotele juxta Plinium numeratur, unde ordinem ſervat in Græco Alphabeto.

[e] *Not.* 16. *Koppa* in Pelaſgico Alphabeto, unde apud Latinos ordinem ſervat, et in antiquis aliquot et ſingularibus Græcorum nummis literæ k, ſeu Kappæ vicem præſtat, unde in vetuſtiſſimo Alphabeto non locum habeat Kappa. Vid. Spanhemium. (Cap. 11.)

[f] *Not.* 18. *San* in Pelaſgico Alphabeto à *Sin*, cujus ordinem ſervet; *Sigma* in Ionico à *Samech*, uno Σ in Græco Alphabeto gemini Phœnicii vicem præbente. (Cap. 12.)

[g] *Not.* 19. *Tau* in Græco Alphabeto gemini Phœnicii *Teth* et *Tau* vicem præbens, ſed *Tau* locum tenens. Ita *Zeta* Græcum *Zain* et *Tſade* Phœniciorum vicem præbet, ſed *Zain* locum tenet, ut ſuprà vidimus.

Unde è xxii Phœniciis ſeu Samaritanis Literis tantùm xix Græci veteres mutuabantur. Sed Pelaſgi non habebant *Kappa*, uti Iones veteres, nec *Vau*, nec *Koppa*; unde illis xviii, his xvii primitus fuere; Idque patet ex collatione ordinis apud Latinos et Græcos cum eo qui nunc eſt apud Hebræos et Samaritas, atque olim fuit apud Phœnicas; Adeo ut qui Græcum Cadmi Alphabetum ex xvi tantùm Literis conſtitiſſe ſcribant, intelligendi ſunt de vetere Alphabeto Ionico, nec, ſi rectè ineant rationem rationem habeant *Hethæ*, tanquam Aſpirationis Notæ, cujus neque habeatur inter literas recentioris Alphabeti. (Cap. 13.) Si quæratur, quomodo vetuſtiſſimi Græci Υ vocali carere potuerint; (Cap. 14.) reſpondeo: Quid ſi *Vau* vel *Digamma* Pelaſgis vetuſtioribus ut Hebræis antiquis apud Voſſium, Pœnis apud Bochartum, ideoque Phœnicibus Υ præberet uſum, ut poſteriùs V Latinis tum Vocalis tum Conſonæ? (Cap. 15.) Aut quia Iones etiam *Vau* Litera ſeu *Digamma* carebant, O ejus partes agere aliquandiu potuit: Namque olim magna inter ea ſoni vicinitas; Vide Quintilianum, Inſt. l. 1. c. 4. et Priſcianum de Literis. (Cap. 16.)

Sed talis eſt Υ, ut diu carere ea Græci non potuerint et veteres tandem ſenſere Iones, ſibi opus eſſe antiqua *Vau* vel *Digamma*, quam majores prætermiſiſſent. Utriuſque igitur literæ defectum ſupplevit Palamedes, ſumta à Gruibus, inde Palamedis avibus, figurâ Υ, ſeu potius Y, ut ab Latinis depingitur, à formâ, quam ſuo agmine efficiunt, cùm loca calidiora petentes maria tranſmittant; Φ ab iiſdem ſingulis volantibus, aut excubias agentibus. Ita omiſſa H aſpirationis nota, ipſas x et viii literas habemus, quas Ariſtoteles ſolas agnovit fuiſſe *priſcas*, ſub iis intelligens tum xvi Cadmi, tum duas Palamedis: Et rectè datus eſt prior locus Cadmi Phœniciis, poſterior Palamedis; cùm Cadmus Palamedem annis circiter ducentis quinquaginta anteceſſit. Proximum autem ſibi locum, poſt Phœnicias Cadmi, vindicabant Palamedis, nullo modo novis et præ iis recens inventis poſtponendæ: Unde ut Phœniciæ et Samaritanæ cum Græcis et Latinis collatæ ſatis ſe per ordinem oſtendunt; ità idem ordo proximè ſequentes Palamedis eſſe probat. Ex ſolito autem more Gruibus volandi Palamedem Literas inveniſſe Philoſtratus in Heroicis docet. Grues verò agmine volantes trianguli formam efficere ab Ariſtotele apud Ciceronem de Natura Deorum animadverſum eſt. Literam, quæ trianguli formam referat rectè intelligere poſſunt Δ, vel etiam Λ, qui Palamedem memorant ſexdecim

De Υ et Φ Literis inventis.

Literarum

Digitized by Google

Literarum formas reperiſſe : Sed cùm eas jam eſſe Phœnicias, ideoque Cadmum earum Græcis Auctorem conſtiterit, quærenda eſt alia Litera triangularis ; eaque nulla alia eſſe poteſt atque Y, quæ tres angulos habeat, licet tertius ſit producto ſcapo. Et quid ſi Latinum V eſſe genuinam Palamedis Literæ formam ſtatuamus ? Certè non ſolùm in recentioribus Græcorum nummis paſſim, ſed etiam in aliquot Syracuſanorum nummis apud Parutam et Theſauris Brandenburgicis receptum videamus. Vide Spanhemium. Scapum fortè primus addidit Pythagoras, unde dicta *Litera Pythagoræ* in Catalectis Virgilianis, cùm Heſiodi doctrinam de duplici via Palamedicæ Literæ ramis applicaret : Certè dextrum ramum anguſtum et rectum, ſiniſtrum latum et aſcenſu facilem, ſed inflexo ad ultimum angulo præcipitem fecit, quo melius reſponderet, hac imagine Y. Poſterior ætas ſcapo retento cornua utraque inflexit ϒ, ut nec Palamedis Grues, nec Pythagoræ doctrinam in ea agnoſcas. (Cap. 17.) In Litera Φ nec Gruem, nec Literæ Auctorem agnoſcere ita difficile eſt : Unde Auſonius in Edylliis.

Hæc Gruis effigie Palamedica porrigitur Φ. Si autem quæratur, cùm in Phœnicio Cadmi Alphabeto foret *Vau*, quæ in Pelaſgico ſonaret f, unde Latinum F, quid opus eſſet nova litera inventa Φ, quæ ejuſdem planè poteſtatis atque F ſit, niſi quòd è diverſarum gentium ejuſdem Literæ pronuntiatione aliquantulum aſperius ſonaret : Reſpondeo ; Æoles, quibus Pelaſgicum ſequi placuiſſet Alphabetum, ita Pelaſgici F in ſua Digamma ſonum immutaſſe, ut eandem prorſus in omnibus vim habuerit, quam V loco conſonantis poſità apud Latinos, et elatum fuerit, ut à nobis duplex W : Unde non modo Æoles, ſed cum Æolibus cæteri etiam Græci, Pelaſgicum F ſono iſti immutato relinquere, et novum Φ Palamedis beneficio ſibi adſciſcere cogerentur. (Cap. 18.)

E Græco Alphabeto hodierno ſex literæ conſiderandæ reſtant, H, Θ, Ξ, X, Ψ, Ω : quarum duas ab Epicharmo additas, Θ, X, Ariſtoteles, à Palamede mavult Plinius ; reliquas à Simonide uterque conſentit. Sed cum in pluribus vetuſtis Athenienſium nummis, quales haud paucos vidit et verſavit Spanhemius, obvium eſt, ut ΑΘΕ pro Αθη, in Thebanorum nummis ΘΕ pro Θη inſcriptum legatur ; inde liquido eruitur aſpiratas in uſu receptas fuiſſe ante vocales longas ; ideoque illarum inventio non poteſt referri ad Epicharmum, qui junior fuit Simonide harum inventore. Simonides

De Θ et X Literis inventis.

monides enim Olympiade lxxiii clarus eſſe dicitur; Epicharmus ad Olympiados lxxvii. 1. ponitur. Pro duabus ergo Literis, quatuor cum Plinio Palamedi adſignandæ ſunt Θ, Υ, Φ, Χ: Et Ariſtoteles aut xvi, nempe Cadmi, aut quatuor Palamedis adjectis xx priſcas numerare debuit. Ubi autem illæ à Gruibus deſumtæ imagines, quæ in Palamedis Literis requirantur? Ego illas mihi videor elicere poſſe ex Æliani verbis H. A. Lib. iii. Cap. 13. *Ὅταν δὲ προσφερόμενον αἰετὸν αἱ γέρανοι θεάσωνται, γενόμεναι κύκλος καὶ κολπωσάμεναι, μηνοειδὲς τὸ μέσον ἀποφήνασαι ἀπειλῶσιν ὡς ἀνταξόμεναι. Ὁ δὲ ἀναχωρεῖ.* Quorum verborum ſententia hæc eſt; *Quum ſeſe ab aquila impeti perſpiciunt, in orbem conſiſtunt:* Orbem illum ſeu *κυκλον* pulchrè repreſentat Θ, in quo iſta lineola non magis addi videatur, ut diſtinguatur ab O, quàm ut ducum ſtatio denotetur. *Deinde eo orbe cavato, falcatæ lunæ quandam reddunt imaginem, tanquam acie inſtructâ decernere paratæ; quare aquila regreditur,* quod non tamen credendum eſt, antequam omnem aciem Gruum circumvolans, quid fieret, quâ fieret, perſpexerit. ~~Non ergo una luna~~ falcata Gruibus, ſed quatuor erant reddendæ, quî ab omni parte ſibi proſpicerent, quam figuram Palamedica X haud ineptè refert: Ælianus autem non expreſſit lectoribus intelligendum relinquens. Palamedicæ literæ, Υ, Φ, et Χ, ſedecim Cadmi rectè ſequuntur. Cur autem inter illas locum habet Θ? Nempe quòd Literæ *Teth* in Phœnicio Cadmi Alphabeto, quod etiam tunc et poſterius apud Græcos extare certum eſt, valde tum poteſtate tum figura reſpondeat. *Theta* enim valet quod *Teth* cum ſpiritu aſpero: Sed ut Græcum *Tau* Phœnicii *Thau* locum occupârat, ita nunc Græcum *Theta* Phœnicii *Teth* oporteat. Quæ autem poteſtas erat illius Palamedicarum Literarum ultimæ X? Rogas? inquies; Annon *Theta* eſt Litera aſpirata, cujus poteſtas ſit quæ Latinis *Th?* Annon, Φ, quod *Ph?* Et quæ poteſtas X, niſi *Ch?* Ita fateor, olim putavi, ſed aliter res ſeſe habet. Latinorum inſtar uſurpatum quoque olim à Græcis eſt X, ante repertam à Simonide Literam Ξ: quo modo apud Goltzium in nummis viſitur ΑΧΥΡ vel ΑΧΥΡ, apud Parutam NAXI, puris Græcis Literis, non Græcis Latiniſque mixtis, ut putabat eruditus nummorum urbium Editor. Unde doctiſſimus Spanhemius illud Latinorum X, haud minus ac reliquas eorum literas, ab antiqua quoque Græcorum litera, quæ eundem ſonum tum habuerit, profluxiſſe rectè arguit. At ne cui ſit mirum, cum, qui reliquis duabus

aſpiratis

aſpiratis figuras dederit, *Ch* omiſiſſe, reſpondeo; Vidit omnium vir prudentiſſimus in Phœnicio Cadmi Alphabeto duas fuiſſe Literas, *Caph* et *Koph*, utramque Græcis, ſed diverſi generis, pro *k* uſurpatam; eaſque inter ſe non aliter differre quàm *c* et *ch*; alterutrius ergo formam et locum huic aſpiratæ cedere oportere. Cujus rectè norunt eruditi; cùm *Caph* Interp. lxx ſemper valeat X. Sed neque Ionicum, neque Æolicum genus, alterum alteri cedere voluit; unde antiquo more KH ſcribere pergebant. (Cap. 19.)

De vetere Latino Alphabeto perfecto.

Græci, qui poſt Trojam captam in Italiam frequentes venere, et maximè Æolici generis, cum Latinis Palamedi Literas communicârunt. Sed iis, qui Pelaſgici F ſonum vel retinuerant, vel ita immutârant, ut ſonaret pæne ut Græcorum Φ, ſono licet dilutiore, nihil opus erat Φ. Quinetiam ut Tullius in Oratore teſtis, Latini nuſquam, niſi in vocali, aſpiratione utebantur, et pæne ad ejus tempus loquebantur, ſic ut *pulcros*, *Cetegos*, *triumpos*, *Kartaginem*, dicerent. Quare Palamedis Literas aſpiratas rejiciebant. Relictâ autem ſuâ poteſtate F, et quam ab Evandri temporibus apud ipſos fortaſſe habuerat, ut vim, quam apud Æoles, quos maximè ſequerentur Latini, habuit *Digamma*, exprimerent, eundem etiam V, quam ſolum cum X è Palamedis Literis accepiſſent, conſonantis loco poſitæ ſonum dederunt: Quod vix, ut opinor, facerent, niſi iis perſuaſum fuiſſet, quòd in vetere Alphabeto Cadmi Phœnicio (unde ipſorum Pelaſgicum manarat) *Vau*, nunc Conſonæ, nunc Vocalis V præbebat uſum. Et ob ambiguam illam naturam factum eſt, ut V aliàs uti Conſonum elatum, interdum apud Poetas per Diæreſin Syllabæ abeat in V Vocale. Ut vero, quod dixi de his affinibus Literis, melius intelligatur, *Vau* Phœnicii ſonum fuiſſe ſtatuo, qui apud nos Britannos ſit U et V. Quod poſterius qui exiliùs æquo extulerint, ut Pelaſgi et priſci Latini, ut noſtrum F efferebant; Qui latiùs, ut Æoles et Latini recentiores, ut noſtrum W. Ita ex quatuor noſtris, duarum tantùm Literarum poteſtatem videntur habuiſſe Phœnices, certè quicquid habuerint una tantùm ſignabant notâ *Vau*. Omnes Græci nominis præter Æoles duarum tantùm, Latini autem trium ſaltem, ſi non omnium, poteſtatem duabus notis ſignatam habuere; illi Υ, et Φ, hi F, et V. Æoles denique etiam trium, ſi non quatuor, poteſtatem habuerunt, ſed tribus notis ſignatam, F, Υ, Φ. Latinis Litera πολυώνυμος V, cui reſpondeant

Digitized by Google

ſpondeant noſtrates U, V, et W. Æolibus forte duplex F noſtratibus reſpondit V, et W. Ita vetus Latinum Alphabetum, additis Palamedis V, et X, perfectum eſt, quod viginti tantùm conſtitit Literis:

A, B, C, D, E, F, Z, H, I, L, M, N, O, P, Q, R, S, T, V, X. (Cap. 20.)

De H, Ξ, Ψ, Ω. Literis inventis.

Circa Olympiadem lxxiii, ut ſupra diximus, Simonides clarus fuit. Ille è vetere Cadmi Phœnicio Græcum ſui temporis Alphabetum augere et corrigere inſtituit. Auxit inventis duabus Vocalibus, quas dixit φύσει μακρὰς, ut eſſent ἀντίστοιχα τῷ E, & τῷ o, brevibus natura. Velius Longus. Ex iis Eta eſt vetus *Hetha* quoad figuram, ſed novâ poteſtate donata, ita ut pro aſpirata H longum ē ſonaret; unde è veteri nomine detracta *h*, ut pro *Hetha* nomen ſit *Eta*, veterem obtinet locum. Colligebat enim forte Simonides ex Phœniciis literarum nominibus *Heth* nihil aliud eſſe atque validiùs ſonans *He*, quæ ſit differentia inter e brevem et longam natura. Vidit quoque poſt inventas Θ, et Φ, parum fuiſſe in uſu aſpirationem poſt Conſonantem præter K, de quo ſcribendo putavit forte cum Palamede: Et pro aſpiratione ante Vocales uti eidem placuit ⊢, ut pro tenui ⊣, quæ utraque nota conflata τῷ H veteris figura eſt, obſervante Iſidoro. Ut *o* longæ naturam exprimeret, in figura ejus O figuram ſic dilatavit, et aperuit Ω. (Cap. 21.) Ut verò illi placuit Palamedis ſententia de figura *Caph* vel *Koph* pro KH utenda, diſplicuit certè ejus figura X quam pro KΣ dederat: Has conjunctim in una Litera conſiderabat tanquam aliud Σ, ideoque Phœnicii *Samech* locum et figuram, quæ vacarent, potius occupare debere: Rejectâ ergo X Palamedica, novam dedit Simonides, cujus figura Ξ majuſculas *Samech* lineas aliquo modo exhibet, minuſcula ξ ſanè haud multùm abludit. Reſtabat tantùm *Tſade* Phœnicium in Cadmi Alphabeto intactum, quod valet *Tſ*. Græci autem non tam *Tſ*, quàm *Pſ* indigebant nota, unde à *Tſade* ſuum finxit Ψ Simonides, poteſtate paulùm diverſa, ſed non valde diſſimili figura, ſi invertas et mediam lineolam cum ſcapo producas. Atque huic literæ ſuæ, alterius procul dubio deſignavit locum poſt Π, unde cum Σ effictum eſt. Poſtremum dedit locum Ω ſuæ, ut Alphabetum inciperet ab A vocali, ab Ω Vocali finem faceret; Ejuſque Alphabetum, ut puto, ſic ſtetit:

A, B, Γ, Δ, E, F, Z, H, Θ, I, K, Λ, vel fortè L, M, N, Ξ, O, Π, Ψ, ϙ, P, Σ, T, Y, Φ, Ω, Literarum xxv, ſi Æolicum Digamma numeretur. (Cap. 22.)

Iniquè

Digitized by Google

De Epicharmi X.

Iniquè tulerunt aliquammulti excludi à Simonide Palamedicam X: His ut ſatisfieret, et quod neutrum genus Græcorum ſuo cederet *Kappa*, vel *Koppa*, Epicharmus, qui ad Olympiadem lxxvii. 1. ponitur, ut ſupra dictum eſt, primus uti cæpit Palamedica X, non pro KΣ, ut Palamedes, ſed pro KH veterum, Simonidis K⊢; unde ejus Literæ à nonnullis Inventor dicitur: idque tandem invaluit: nec tamen numerum Literarum auxit, cùm ab aliis in Alphabeto omitteretur *Kappa*, ab aliis *Koppa*. Inter hæc et Belli Peloponneſiaci tempora veteris illius et inſignis Marmoris, quo Homeri apotheoſis conſignatur, ætatem ſtatuo. In eo enim utraque apparet Scriptura, tum vetuſtior, tum nova, quod novam non ſatis invaluiſſe arguit, ΑΡΧΕΛΑΟΣ, Κ⊢ΡΟΝΟΣ. Non enim eſt quod Kircherus tradit, ΚΙΡΟΝΟΣ, quem fugerat τοῦ ⊢ tranſverſa lineola, ſed quem rectè vidit, haud tamen meliori jure ſcripſit ΚΗΡΟΝΟΣ Spanhemius. Non enim eſt H Litera, quæ in hoc Marmore, ubi Simonidis longæ vocales velut jam ratæ ſunt, idem valet atque vocalis longa ē; ſed ⊢ aſpiratio. (Cap. 23.)

De Calliſtrati Alphabeto hodierno.

Belli Peloponneſiaci temporibus, ut teſtatur Ephorus in antiquiſſimis ad Homeri Iliada Scholiis, ex inedito Voſſii codice exſcribente Spanhemio, Calliſtratus Samius novum hoc Alphabetum, quod deinde fuerit in uſu concinnavit; paulùm immutato Literarum ordine, addiditque iis, quæ Græci vocarent ἐπίσημα, quaſi *addititia ſigna*, non ut Literarum Symbolis, ſed Numerorum. Namque inter E et Z inſeruit alteram *Vau* figuram ϛ ad numerum ſignandum ſenarium, quòd in Alphabeto Phœnicio ſexta erat. Deinde *Kappa* ut Litera retenta, et rejecto Simonideo Ψ, tanquam non Phœnicio, ad finem inter X et Ω, *Koppa* q, ϙ, nonagenarium ſignare numerum dedit, quem priore detruſo ex ordine in Phœnicio Alphabeto rectè obtinet. Denique altera *Tſade* Phœnicii, atque ut putabat veriore datâ figurâ ϡ (Σὰν-Πῖ vocant Græci) eam nongentorum ſignare numerum juſſit, et in extremum poſt Ω rejecit locum, tanquam quæ nunquam apud Græcos Literæ vicem præſtitiſſet. Atque hoc Calliſtrati Alphabetum, utpote in Ioniæ Samo concinnatum, Ionicum novum, et Ionicum ſimpliciter dictum eſt ad diſtinguendum ab Ionico vetere et Attico. Serius enim ab Athenienſibus receptum eſt, neque ante Euclidem Archonta Olympiade xciv. 2: Ab Athenienſibus receptum ubique invaluit, juxta illud Plinii lib. vii. c. 57. *Gentium* [qui Græcè ſcri-

bant]

bant] *conſenſus tacitus primus omnium conſpiravit, ut Ionum Literis uterentur.* (Cap. 24.)

De novis Alphabeti Latini Literis G, K, Y, Z.

De Literis Alphabeto Latino inſertis et additis, paucis abſolvam. C ab initio ut Γ locum in Alphabeto Pelaſgico, ita poteſtatem ſolùm habuit. Quin et figura non eſt niſi Γ rotundata: Sed multis interjectis ſæculis, vitioſa pronuntiandi conſuetudo ita prævaluit, ut in quamplurimis vocibus Pelaſgici *Koppæ* ipſorum Q, et Ionicæ *Kappæ* poteſtatem arriperet. Diſtinctionis ergo gratia eorum quæ legitimum Γ ſonum ab iis quæ vitioſum tenerent, Sp. Carvilius Grammaticus Literam G invenit, pæne eadem figura ac C, uti cognationem oſtenderet, eique in Alphabeto locum dedit Z, quæ jamdiu obſoleverat. Id factum putatur circa annum Urbis 540, Secundi Belli Punici temporibus. (Cap. 25.) K alius Grammaticus Salluſtius Literis Latinis adjecit, et *Kappæ* Ionici in Alphabeto locum dedit; nè minima quidem neceſſitate et planè ſupervacuum, cùm in Latino Alphabeto duæ eſſent Literæ quæ ad omnes vocales vim ejus proferrent, Q more atque inſtituto majorum, (Cap. 26.) C ex uſurpatione. (Cap. 27.) Denique quum Græcæ Literæ ~~magno eſſe~~ in honore cæpiſſent, Græca quoque Y et Z, hoc tanquam poſtliminio in patriam, ſed non in ſedem antiquam reverſum, fuere recepta ut in Græcis vocabulis uſurparentur; ſed ad finem Alphabeti adjecta, ut peregrina: Unde Quintilianus; *Noſtrarum ultima* X.

COM-

COMMENTARIA

In DISSERTATIONEM de

GRÆCIS et LATINIS Alphabetis,

SIVE

HIST. LITERARUM.

CAP. I.

LITERAS Græcorum fuiſſe à Phœnicibus, qui cum Cadmo advenerunt, putat Herodotus, v. 58. Οἱ δὲ Φοίνικες οὗτοι οἱ σὺν Κάδμῳ ἀπικόμενοι, τῶν ἦσαν οἱ Γεφυραῖοι, ἄλλα τε πολλὰ, οἰκήσαντες ταύτην τὴν χώρην, ἐσήγαγον διδασκάλια ἐς τοὺς Ἕλληνας, καὶ δὴ καὶ γράμματα, οὐκ ἐόντα πρὶν Ἕλλησι, ὡς ἐμοὶ δοκέειν. Hinc Phœnicias vocari literas à Græcis, qui his uterentur, idem ſcribit; χρεώμενοι δὲ ἐφάτισαν, ὥσπερ καὶ τὸ δίκαιον ἔφερε, ἐσαγαγόντων Φοινίκων ἐς τὴν Ἑλλάδα, Φοινικήια κεκλῆσθαι. Et ipſe *Cadmeas* vocat veteres literas, quas ſe vidiſſe ſcribit, in quibuſdam inciſas tripodibus, Ionicarum ſimiles probè: c. 59. Ἶδον δὲ καὶ αὐτὸς Καδμήια γράμματα ἐν τῷ ἱρῷ τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Ἰσμηνίου ἐν Θήβῃσι τῇσι Βοιωτῶν, ἐπὶ τρίποσί τισι ἐγκεκολαμμένα, τὰ πολλὰ ὁμοῖα ἐόντα τοῖσι Ἰωνικοῖσι. Teſtis accedet etiam Dionyſius, credo, Mileſius, antiquior Herodoto ipſo. (Nam Dionyſius Mileſius eodem tempore, quo Darius Hyſtaſpis filius, fuit: Herodotus, quo Artaxerxes Machrochir.) Hic Dionyſius ſcripſit Κάδμου κομίσαντος ἐκ Φοινίκης τὰ καλούμενα γράμματα, —— κοινῇ μὲν οὖν τὰ γράμματα Φοινίκια κληθῆναι, διὰ τὸ

παρὰ

παρὰ τοὺς Ἕλληνας ἐκ Φοινίκων μετενεχθῆναι. Vide Diodorum, lib. iii. pag. 200.

C A P. II.

" Characteres Samaritani ad Græcos aliquatenus accedunt, vel potiùs " Græci ad Samaritanos; ex quo arguitur, characteres illos Samarita- " nos eos ipſos eſſe, qui Cadmi temporibus in Phœniciâ uſurpabantur. Bochartus in Epiſtolâ ad Iſaac. Voſſium Operum, p. 859. Certè antiquiſſimas literas Græcas ex averſis Samariticis fuiſſe deductas declarat maximè earum forma; item ordo et nomina, quod jam, poſt veteris illius Græcorum Alphabeti cum Samaritico collationem ab Scaligero et Bocharto inſtitutam, et Waltoni Alphabetum Samaritanum Numiſmaticum, cuivis facile eſt ſcitu ex Edvardi Bernardi *Orbis Eruditi Litteratura è Samaritico Charactere deducta*, in Digrammate, cui Titulus *Alphabetum Græcum Cadmi, ſive Ionicum, ante Chriſtum* 1500, *averſis literis Phœnicum, è nummis Siculis, Æginenſibus, Bœotis, Atticis, aliiſque.* Vide Spanhemium de Præſtantiâ et Uſu Numiſm. Antiquorum, p. 82.

C A P. III.

Literæ, quas Phœnices cum Cadmo in Græciam induxerunt, primò erant illæ, quibus omnes utebantur Phœnices: πρῶτα μὲν τοῖσι ϗ ἅπαντες χρέωνται Φοίνικες. Herodot. lib. v. cap. 58. Verùm pòſt, aliquo tempore intermiſſo, cum lingua unà modum quoque mutarunt literarum: μετὰ δὲ χρόνου προβαίνοντος, ἅμα τῇ φωνῇ μετέβαλον ϗ τὸν ῥυθμὸν τῶν γραμμάτων. Idem ibid. Hanc autem literarum mutationem factam ab Lino, Dionyſium ſcripſiſſe ait Diodorus, lib. iii. pag. 200. [Hic prior erat Linus, non Herculi magiſter (duos enim Thebani apud Pauſaniam fuiſſe cenſent) quem Euſebius ponit annis decem, quibus Cadmus cæpit regnare Thebis.] Linum literas in ſermonem Græcum tranſtuliſſe primum, et ſuum cuique nomen dediſſe, earumque formam demonſtraſſe: Hinc literas æquè Phœnicias fuiſſe vocatas, propterea quod in Græciam ex Phœnicibus tranſlatæ fuerant; et per Pelaſgos, qui primi erant uſi formis earum tranſlatis, Pelaſgicas appellatas fuiſſe. Ἔτι δὲ Κάδμου κομίσαντος ἐκ Φοινίκης τὰ καλούμενα γράμματα, [Λῖνον] πρῶτον εἰς τὴν Ἑλληνικὴν μεταθεῖναι διάλεκτον, ϗ τὰς προσηγορίας ἑκάστῳ τάξαι, ϗ τοὺς χαρακτῆρας διατυπῶσαι: Κοινῇ μὲν οὖν τὰ γράμματα Φοινίκια κληθῆναι, διὰ τὸ παρὰ τοὺς Ἕλληνας ἐκ Φοινίκων μετενεχθῆναι. Διὰ δὲ τῶν Πε-

λασγῶν

Digitized by Google

λασγῶν πρώτων χρησαμένων τοῖς μετατεθεῖσι χαρακτῆρσι Πελασγικὰ προσαγορευθῆναι. Atque hæc prima literarum eſt mutatio facta.

CAP. IV.

Dionyſius Halicarnaſſ. quidem dicit lib. i. c. 33. uſum Græcarum literarum accepiſſe Italos primùm ab Arcadibus, qui cum Evandro veniſſent (anno ante captam Trojam ſexageſimo, ἑξηκοστῷ μάλιστα ἔτει πρότερον τῶν Τρωικῶν. c. 31.) λέγονται δὲ καὶ γραμμάτων Ἑλληνικῶν χρῆσιν εἰς Ἰταλίαν πρῶτον διακομίσαι. Græcarum autem literarum, olim quæ fuerunt, non quæ nunc ſunt. *Veteres Græcas fuiſſe eaſdem pæne, quæ nunc ſunt Latinæ*, Plinius dicit lib. vii. cap. 58. in quo Tacitus cum eo conſentit. Idem ferè, quod Dionyſius ſentiunt Hyginus et Tacitus, dum literas acceptas referunt; alter Evandro et matri ejus Carmentæ, alter uni Evandro. Atqui à Pelaſgis primùm accepiſſe Latinos dicit Plinius, lib. vii. cap. 56. *In Latium eas attulerunt Pelaſgi.* Et mihi quidem videtur magis veriſimile hoc eſſe, cum ante Evandrum et Arcades Pelaſgi in Italiam pervenerunt, quibus Aborigines in finibus ſuis agros dederunt. Nam et ipſe dixit Dionyſius de Evandro et Arcadibus, i. c. 33. Τοῦτο δεύτερον ἔθνος Ἑλληνικὸν, μετὰ Πελασγοὺς, ἀφικόμενον εἰς Ἰταλίαν, κοινὴν ἔσχε μετὰ τῶν Ἀβοριγίνων οἴκησιν. Quo tempore quidem primùm in Italiam pervenerunt Pelaſgi, Dionyſius omiſit dicere. Scimus autem ex hoc, Pelaſgos, poſtquam advenerunt, bellum Siculorum adhuc procedens alacri et promto animo unà cum Aboriginibus pertuliſſe, uſque adeò donec ſuis finibus eos expulerunt. Expulſos autem ſe in inſulam, quæ habet ex ipſis vocabulum Siciliam, transjeciſſe, Τρίτῃ γενεᾷ πρότερον τῶν Τρωικῶν, ſecundum Hellanicum Leſbium, hoc eſt, ante captam Trojam annis centum [γενεαὶ γὰρ τρεῖς ἀνδρῶν, ἑκατὸν ἔτεα ἐστί. Herodotus ii. 142.] vel, ſecundum Philiſtum Syracuſanum, octogeſimo anno ante bellum Trojanum, χρόνος μὲν τῆς διαβάσεως ἦν ἔτος ὀγδοηκοστὸν πρὸ τοῦ Τρωικοῦ πολέμου, ut ſcriptum legimus apud Dionyſium c. 22. quod annos triginta, aut quadraginta, ante adventum Evandri et Arcadum fuit. Quid igitur obſtat, cur non à Pelaſgis, qui primi venere, primùm literas acceperint Aborigines? præſertim cum Pelaſgi primi Græcorum eſſent uſi literis, et veteres primæque Græcæ literæ Pelaſgicæ appellatæ fuerint, quod ſuprà oſtendimus; verùm Arcadibus uſus literarum, ubi appellebant ad Italiam, tum nuper apparuerat, ut Dionyſius ipſe dicit in verbis loco jam citato additis, λέγονται δὲ καὶ γραμμάτων Ἑλληνικῶν χρῆσιν εἰς Ἰταλίαν

Ἰταλίαν πρῶτοι διακομίσαι νεωςὶ φανεῖσαν Ἀρκάσι. Quod ſi Evander et Arcades in Latium primi attulerunt literas, tamen eas à primo accepiſſe Aborigines à Pelaſgis, qui primi Græcorum erant uſi literis, et unde ad cæteros quidem Græcos omnes, atque adeò ad Arcades devenerunt, verè poteſt dici; cùm literæ Latinæ ſunt eædem pæne, quæ olim fuerunt Pelaſgicæ. Neque enim aliud eſt illud dictum Plinii *Veteres Græcas fuiſſe eaſdem pæne, quæ nunc ſunt Latinæ*; cùm Pelaſgicæ, veteres et primæ fuerunt Græcæ, quod ſuprà oſtendimus. Itáque per Evandrum et Arcades primùm à Pelaſgis acceperint literas Aborigines.

CAP. V.

Poſt primam literarum mutationem factam, continuò Iones, qui magna in parte locorum circum Phœnices, qui in Bœotiam venerant cum Cadmo, habitabant, literis à Phœnicibus in diſciplina acceptis, paucarum mutata forma, utebantur. Herodotus lib. v. cap. 58. *περιοίκεον δὲ σφεας τὰ πολλὰ τῶν χώρων τῦτον τὸν χρόνον Ἑλλήνων Ἴωνες, οἳ παραλαβόντες διδαχῇ παρὰ τῶν Φοινίκων τὰ γράμματα, μεταρρυθμίσαντές σφεων ὀλίγα, ἐχρέωντο.* Atque haec erat altera literarum Phœniciarum inter Græcos mutatio: qua in mutatione etiam, æquè atque in priori, Phœniciæ vocabantur, ita ut æquum erat, cum Phœnices in Græciam attulerant, quod et illi Iones, dum utebantur, dictitabant. *Χρεώμενοι δὲ ἐφάτισαν, ὥσπερ ϗ τὸ δίκαιον ἔφερε, ἐσαγαγόντων Φοινίκων ἐς τὴν Ἑλλάδα, Φοινικήια κεκλῆσθαι.* Idem ibid. Quanquam autem literas, in hac quoque earum mutatione, Phœnicias vocabant grati, qui mutarant; ab ipſis tamen Ionicæ vocabantur etiam. Ita vocat Herodotus v. 59. dicens, literas Cadmeas ſe vidiſſe in quibuſdam inciſas tripodibus, *Ionicarum* ſimiles probe. *Ἶδον δὲ ϗ αὐτὸς Καδμήια γράμματα ἐν τῷ ἱρῷ τῦ Ἀπόλλωνος τῦ Ἰσμηνίυ ἐν Θήβῃσι τῇσι Βοιωτῶν, ἐπὶ τρίποσί τισι ἐγκεκολαμμένα, τὰ πολλὰ ὅμοια ἐόντα τοῖσι Ἰωνικοῖσι.* Ubi *τὰ Ἰωνικὰ γράμματα*, quibus *Καδμήια γράμματα τὰ πολλὰ ὅμοια ἐόντα* dicat, literæ ſunt eædem, ac *τὰ γράμματα*, quibus, ut ſuprà dixerat, *Ἴωνες, παραλαβόντες διδαχῇ παρὰ τῶν Φοινίκων, μεταρρυθμίσαντές σφεων ὀλίγα, ἐχρέωντο.* *Καδμήια* autem *γράμματα* vocat illas ipſas literas, quibus à principio à Phœnicibus in diſciplina acceptis Iones, paucarum mutata forma, utebantur: quod de Ionibus priſcis et eorum literis intelligendum. Cave enim de Calliſtrati Samii alphabeti literis Ionicis eſſe dictum ſentias. Illud enim alphabetum poſt Herodotum, belli Peloponneſiaci temporibus,

bus, fuit concinnatum; quod in ipſa de literis diſſertatione, propè ad finem, commemoravi. Atque adeò ex uno Phœnicio Græci geminum ſibi confecerunt alphabetum, Pelaſgicum, et Ionicum; in quo poſteriore cùm parvam literarum Phœniciarum mutationem factam dicit fuiſſe Herodotus, *μεταῤῥυθμίσαντές σφεων ὀλίγα*, non credibile eſt, major earum mutatio in priore ut fuerit, mutatio à Phœnicibus ipſis facta ſecundum Herodotum.

C A P. VI.

Quo meliùs intelligatur noſtrum antiquiſſimum Græcum Alphabetum, Alphabetum Samaritanum (quod idem eſſe ac Phœnicium ſuprà diximus) vide in Waltoni Prolegom. ii. pag. 11. ubi habes literarum xxii nomina et formam; quarum ſingularum nominibus literarum Græcarum ex ipſis ortarum forma, poteſtas, et nomina in noſtro antiquiſſimo Græco Alphabeto appoſita collocantur. Quî autem factum ſit, ut literarum numero differant ea alphabeta inter ſeſe, ad finem noſtri Alphabeti ratio affertur.

C A P. VII.

Veteres Græci E et O fuerunt uſi æquè pro longis, ac brevibus. Plato in Cratylo dixit p. 426. *ου γὰρ η ἐχρώμεθα, ἀλλὰ ε τοπαλαιόν.* Quod et de ω dici potuit. Et ipſe dixerat pag. 410. fuiſſe olim *ὥρας* ab Atticis dictas *ὅρας*: *Αἱ μὲν δὴ [ὧραι] ὅραι Ἀττικιστὶ ὡς τοπαλαιὸν ῥηθέν.* Unde ſemper apud Latinos ita fuit. E autem Ei, et O Ou erant nomina. E literæ fuiſſe nomen Ei, docet Plutarchus in opuſculo *περὶ τοῦ* EI *τοῦ ἐν Δελφοῖς*, ubi dicit eos, qui illud EI conſecraverant, *ἀναθεῖσθαι τῶν γραμμάτων ὃ τῇ τε τάξει πέμπτον ἐστι καὶ τοῦ ἀριθμοῦ τὰ πέντε δηλοῖ.* Pag. 385. Quod autem ad O literæ nomen attinet, teſtis eſt Quinctilianus lib. i. cap. 7. Quanquam ibi loci, inter illa quæ approbes, eſt quod vitio des; *Nam illa vetuſtiſſima tranſeo tempora, quibus et pauciores literæ, nec ſimiles his noſtris earum formæ fuerunt, et vis quoque diverſa; ſicut apud Græcos O litera, quæ interim longa ac brevis, ut apud nos: interim pro ſyllaba, quam nomine ſuo exprimit.* Vetuſtiſſimis quidem temporibus pauciores literas fuiſſe Latinis, ſicut Græcis, noſtra diſſertatio oſtendit. Non tamen ita diſſimilis earum forma ſui temporis literarum fuit; quum fere hoc tempore Plinius, id quod ſuprà diximus, ſcripſit

Veteres

Digitized by Google

Veteres Græcas fuiſſe eaſdem pæne, quæ nunc ſunt Latinæ, indicio erat Delphica tabula antiqui æris, quæ eſt hodie in Palatio. Et Tacitus xi Annal. c. 14. *Et formæ literis Latinis, quæ veterrimis Græcorum.* Plinius enim obiit ſub Tito Imp. Quinctilianus ſcripſit circa A. C. 88. ſub Domitiano; Tacitus ſub Trajano. Quod ſi veterum Græcarum literarum formæ ſimiles atque eædem pæne fuerunt, quæ tunc erant Latinæ; tum magis eæ, quas vetuſtiſſimis temporibus à Græcis primùm acceperunt Latini. Neque aliter cenſent Scaliger in Euſebianis Animadverſ. pag. 111. Salmaſius ad Inſcr. Herod. pag. 56. Voſſius de Arte Grammatica lib. i. c. 11. et Spanhemius de Præſtantiâ et Uſu Numiſm. Antiquorum pag. 111. Et fortaſſe nulla alia diſſimilitudo earum formæ, niſi quod illæ vetuſtiſſimorum temporum literæ Quinctiliano videbantur eſſe forma admodum impolita et planè rudi; ſuæ autem ætatis literæ magis compoſitæ, magis elegantes. Nec vis earum diverſa, niſi in una et altera litera. Ea, quæ ſequuntur, magis vera, et magis è nobis ſunt: nempe vis O literæ apud ~~Græcos illis~~ vetuſtiſſimis temporibus, quæ primùm longa ac brevis fuit, ut apud Latinos: pòſt deinde pro ſyllaba, quam nomine ſuo exprimit, hoc eſt, ου; ut ex Athenæo lib. xi. cap. 5. quimus intelligere, de poculo in Achæi Tragici Omphale, quod erat ΔΙΟΝΥΣΟ inſcriptum, ubi diſſerit, *Ἐν τούτοις λείπει τὸ ῡ στοιχεῖον, ἐπεὶ πάντες οἱ ἀρχαῖοι τῷ ο̄ ἀπεχρῶντο, οὐ μόνον ἐφ' ἧς νῦν τάττεται δυνάμεως, ἀλλὰ καὶ ὅτε τὴν δίφθογγον διασημαίνει, διὰ τοῦ ο̄ μόνον γράφουσι. ——κἂν τοῖς προκειμένοις οὖν οἱ Σάτυροι, τοῦ Διονύσου τὴν τελευταίαν συλλαβὴν διὰ τοῦ ο̄ μόνου ὡς βραχέως ἐγκεχαραγμένου, ἐδήλωσαν ὅτι συνυπακούεσθαι δεῖ καὶ τὸ ῡ, ἵνα ᾖ Διονύσου.* Ab hoc autem Achæo Euripidem aliquid ſumſiſſe ſibi ut mutuò, alibi ſcripſit Athenæus; cujus rei idcirco mentionem facimus, ut ſciri poſſit, quàm vetus eſſet uſus O literæ pro *ου*, quo pacto Achæus utebatur, atque ita utebatur, ut ſuis etiam temporibus veterem fuiſſe eum uſum oſtenderet. Quod ſi per ο̄ ſolum diphthongum ου deſignabant Veteres, tum nomen ο̄ literæ fuit Ou; ſiquidem, ſecundum Quinctilianum, quod ſuprà demonſtraveram, *O litera fuit pro ſyllaba, quam nomine ſuo exprimit.* Atque adeò è nomine ipſo ego credo factum fuiſſe, ut O literam pro ſyllaba, quam nomine ſuo exprimit, ſcripſerint.

CAP.

CAP. VIII.

F literam Græcam fuiſſe certè ſcimus è nummis FAΛEIΩN inſcriptis; quarum unus eſt plenus, novem cum prioribus literis duabus ſolis FA, apud Goltzium in Magna Græcia Tab. xxxv et xxxvi. Hos autem ipſis FAΛEIOΥΣ *Faliſcos* vocabant Romani aliique Faleriorum urbis, in Etruria ſitæ ad Tiberim in via Flaminia inter Romam et Ocriculum, incolas ſecundum Strabonem. Neque convenire nomina, haud mirabile eſt, quum Faliſci, ut aliqui dicunt, ſui ſibi generis gens erat, neque ejuſdem linguæ ſocietate aliis conjuncta civitas. Strabo lib. v. pag. 226. uti legit Salmaſius, Ἴδιον ἔθνος τινὲς [φασι] τὲς Φαλίσκες ϰ̀ πόλιν ἰδιόγλωσσον. Qui autem Græci fuerunt hi Faliſci? Unde iis F litera? Dionyſius Halicarnaſſ. lib. i. c. 20 et 21, docet, eorum incoluiſſe urbem (Falerium vocat) Pelaſgos, ubi etiam uſque ad illud tempus tenues aliquot Pelaſgici generis reliquiæ reſtabant: ϰ̀ πόλεις πολλάς, τὰς μὲν οἰκεμένας ϰ̀ πρότερον ὑπὸ τῶν Σικελῶν, τὰς δὲ αὐτοὶ κατασκευάσαντες, ὤκεν οἱ Πελασγοὶ κοινῇ μετὰ τῶν Ἀβοριγίνων, ὧν——Φαλέριον ϰ̀ Φεσκέννιον ἔτι ϰ̀ εἰς ἐμὲ ἦσαν οἰκέμεναι ὑπὸ Ῥωμαίων, μικρὰ ἄττα διασώζεσαι ζώπυρα τῦ Πελασγικῦ γένες, Σικελῶν ὑπάρχεσαι πρότερον. Et quòd multæ inſtitutæ rationes et mores antiqui, quibus aliquando uti conſueverant Græci, in his diutiſſimè permanſerunt, argumenti ſumit loco, homines illos, qui Siculos expulerunt, Græcos fuiſſe, qui ſuperiori tempore Argos tenuerant. Græci illi mores erant, belli ornatus militaris, clypei Argolici et haſtæ; et quum aut ipſi bellum inferentes, aut illatum propulſantes, ex ſuis finibus exercitum emittebant, ſancti quidam viri, qui inermes ipſi reliquos armatos præcedebant, fœderis et pacis conditiones hoſtibus ferentes (feciales vocabant Latini); item ſacellorum ſtructura et ſimulacra Deorum, conſecrationeſque et ſacrificia, atque hujuſmodi alia multa. Omnium autem clariſſimum monumentum habitationis olim Argis, Falerii templum Junonis, ſicut Argis, exſtructum, ubi eadem adminiſtratio ſacrorum erat, et locus ſacratus mulieribus ſacerdotibus cura, et caniſtrum ferens puella à viro integra, abs qua initium ſacrificii fiebat, virginumque chori Deæ laudem gloriamque celebrantium patriis carminibus. Ipſius verba ſunt, c. 21. Ἐν ταύταις διέμεινε πολλὰ τῶν ἀρχαίων διαιτημάτων, οἷς τὸ Ἑλληνικόν ποτ᾽ ἐχρήσατο,

ἐπὶ μήκιστον χρόνον, ὧν ὅ, τε τῶν ὅπλων τῶν πολεμιστηρίων κόσμος, ἀσπίδες Ἀργολικαὶ καὶ δόρατα. Καὶ ὁπότε πολέμου ἄρχοντες, ἢ τοὺς ἐπιόντας ἀμυνόμενοι, στρατὸν ὑπὲρ τῶν ὅρων ἀποστέλλοιεν, ἱεροί τινες ἄνδρες ἄνοπλοι πρὸ τῶν ἄλλων ἰόντες σπονδοφόροι. Τῶν τε ἱερῶν αἱ κατασκευαὶ καὶ τὰ ἕδη τῶν Θεῶν, ἁγιασμοί τε καὶ θυσίαι, καὶ πολλὰ τοιαῦτα ἕτερα. Πάντων δὲ περιφανέστατον μνημεῖον τῆς ἐν Ἄργει ποτὲ οἰκήσεως τῶν ἀνθρώπων ἐκείνων οἳ τοὺς Σικελοὺς ἐξήλασαν, ὁ τῆς Ἥρας νεὼς ἐν Φαληρίῳ κατεσκευασμένος ὡς ἐν Ἄργει, ἔνθα καὶ τῶν θυηπολιῶν ὁ τρόπος ὅμοιος ἦν, καὶ γυναῖκες ἱεραὶ θεραπεύουσαι τὸ τέμενος, ἥ τε λεγομένη κανηφόρος, ἁγνὴ γάμων παῖς καταρχομένη τῶν θυμάτων, χοροί τε παρθένων ὑμνουσῶν τὴν θεὸν ᾠδαῖς πατρίοις. Erat enim è Peloponneſo natio Græca Pelaſgorum à principio; et circum Argos in Peloponneſo habitabant. Dionyſius c. 17. Ἦν γὰρ δὴ καὶ τὸ Πελασγῶν γένος Ἑλληνικὸν ἐκ Πελοποννήσου τὸ ἀρχαῖον. ——Πρῶτον μὲν γὰρ περὶ τὸ καλούμενον νῦν Ἀχαϊκὸν Ἄργος ᾤκησαν, αὐτόχθονες ὄντες, ὡς οἱ πολλοὶ περὶ αὐτῶν λέγουσι. Pelaſgi totius Peloponneſi incolæ vocati fuerunt, ~~teſtibus Acuſilao in~~ Apollodoro et Ephoro in Strabone. Et hinc celeberrimam illam gentem ita diſperſam originem habuiſſe ſcribit Heſiodus. Ex Pelaſgo nomen ceperunt, quem Heſiodus αὐτόχθονα fuiſſe dicit, ſed Acuſilaus Jovis et Niobes filium, Argi fratrem; ut genere fuerit Argivus. Argos autem Peloponneſi Ἀχαϊκὸν Ἄργος vocabant, ut Πελασγικὸν Ἄργος Theſſaliæ ab eo diſtinguerent; quod de Homero, apud quem utrumque Argos occurrit, Strabo dixit. Poſtquam enim Pelaſgi ex Peloponneſo in Theſſaliam habitatum migrârunt, et memores antiquæ patriæ Argos ſibi fecerunt (ſive urbs, ſeu campeſtria loca Theſſalia erant) quod nomen ab ipſis accepit Pelaſgicum, qui utrumqne Argos diſtinguere vellent, Argos Peloponneſi Achaicum vocabant, propterea quod poſt Pelaſgos Achæi erant domini Argis. Pelaſgos fuiſſe Græcos, quorum oppidum erant Falerii oſtendi: et quid ſi oſtendam nomen ipſum FAΛΕΙΩΝ planè eſſe Græcum? ἁλέος enim *confertus, in unum locum coactus*, ſignificat. Heſychius Ἀλεῶον ὕδωρ ἀθροιστὸν καὶ συλλεκτόν. Et Galenus in Lexico Hippocratico Ἀλέον] ἠθροισμένον, ἀθρόον. Iones enim, quorum dialecto uſus eſt Hippocrates, diphthongos diſſolvunt, ut apud Homerum ἐΐκτην pro εἴκτην, et ἐΐσκω pro εἴσκω. Ἀλεῶος autem eſt ab

ἅλις

ἅλις *ſatis, abunde.* Et FAΛEIOI ſuum nomen dicebant id eſſe, ut qui eſſent *magna Pelaſgorum multitudo in unum locum coacta.* Neque aliud, credo, voluit dicere Feſtus, ubi legitur *Faleri oppidum à ſale dictum.* Ineptè ſanè. Scripſiſſe arbitror *Falerii*, Fαλέοι, *oppidum ab* ἅλις *dictum*; vel *Faleii oppidum ab* ἅλις *dictum.* Levis eſt mutatio i in r. Et indoctus librarius Græcum ἅλις literis Latinis ſcripſit. Hinc illæ ineptiæ. F autem literam veteres Græci (id eſt, Pelaſgi, quum dicitur de literis) ſolebant fere plerumque ante nomina, quibus vocales erant principia, apponere. Dionyſius lib. i. c. 20. Συνηθὲς γὰρ ἦν τοῖς ἀρχαίοις Ἕλλησιν, ὡς τὰ πολλὰ, προτιθέναι τῶν ὀνομάτων, ὁπόσων αἱ ἀρχαὶ ἀπὸ φωνηέντων ἐγίνοντο, τὴν ου συλλαβὴν ἑνὶ στοιχείῳ γραφομένην. Τοῦτο δ᾽ ἦν ὥσπερ γάμμα διτταῖς ἐπὶ μίαν ὀρθὴν ἐπιζευγνύμενον ταῖς πλαγίαις, ὡς Fελένη, καὶ Fάναξ, καὶ Fοῖκος, καὶ Fανὴρ, καὶ πολλὰ τοιαῦτα. In quibus verbis non exempla modo, ita rem eſſe, ut dixi, ſed etiam ſimul formam ejus literæ & rationem nominis, quamobrem Digamma appellata erat, denique ejus poteſtatem habemus. Scilicet F literæ apud veteres Græcos eam fuiſſe poteſtatem, quæ V conſonanti apud Latinos poſtea fuit. Quæ enim propria nomina V conſonantem habent in Latinis principia, omnes, Græcis & Latinis literis vel leviter imbuti, ſciunt habere in Græcis principia Ου. Confirmat Priſcianus lib. i. cap. de Num. literarum V *vero loco conſonantis poſita eandem prorſus in omnibus vim habuit apud Latinos quam apud Æoles Digamma* F. At nonne Æolum, inquies, proprium erat Digamma, adeò ut Quinctilianus & Grammatici appellarent Æolicum Digamma? Unde igitur Pelaſgi hoc habebant Digamma? Unde cæteras quidem literas omnes; nempe à Phœnicibus, qui in Græciam tranſtulerunt literas, quibus ad ſuum ſermonem tranſlatis primi in Græcia erant uſi, ut ſuprà diximus, Pelaſgi. Erat enim Phœnicium Vau, cujus locum in Alphabeto atque ordinem ſervat, vimque eandem & poteſtatem habuit; immo & illi id aliquando nomen. Priſcianus ibid. *Unde à pleriſque ei nomen hoc datur, quod apud Æoles habuit olim* F *Digamma, id eſt, Vau, ab ipſius voce profectum, teſte Varrone & Didymo, qui id ei nomen eſſe oſtendunt.* Ergo Varro & Didymus, teſte Priſciano, F literæ apud Æoles Vau olim fuiſſe nomen oſtenderunt. Ita huic literæ duplex fuit nomen; priùs Vau, *ab ipſius voce profectum,* id eſt, à

D 2 poteſtate

poteſtate ſua factum, quæ Varronis erat opinio. Caſſiodorus de Orthographia cap. 1. ex Annæo Cornuto *Hanc literam Terentius Varro dum vult demonſtrare, ita perſcribit, Vau.* (Ita editur inter Fragmenta Varronis, non *Va,* & confirmat Priſcianus) *qui ergo in hac ſyllaba ſonus eſt, idem literæ erit.* Poſterius ejus literæ nomen Digamma à forma ſua factum eſt, quòd eſt, ut ſuprà commemoravit Dionyſius, ſicut Gamma litera, obliquis duabus adjunctis ad unam rectam lineam. Ad Æoles autem à Pelaſgis unà cum cæteris literis devenit, quod facile credet is, qui ſecum reputet, quod dicit Strabo ex communi plerorumque omnium conſenſu; Pelaſgos antiquam nationem in omni Græcia magno numero fuiſſe, & maximè apud Æoles in Theſſalia lib. v. p. 337. *Τὺς δὲ Πελασγὺς, ὅτι μὲν ἀρχαῖον τι φῦλον κατὰ τὴν Ἑλλάδα πᾶσαν ἐπεπόλασε, καὶ μάλιστα παρὰ τοῖς Αἰολεῦσι τοῖς κατὰ Θετταλίαν, ὁμολογῦσιν ἅπαντες σχεδόν τι.* In Theſſalia ergo à Pelaſgis, qui primi Græcorum erant uſi literis, literas acceperunt Æoles; adeò ut Æolicum Digamma appellaretur, non quòd primi Græcorum, ~~ſed quòd~~ maximè eo uterentur Æoles, atque in Æolica ſola, nulla alia Græcorum dialecto appareat. Contra autem ab Æolibus modum loquendi acceperunt Pelaſgi; unde factum eſt ut, cùm Romani quod ait Dionyſius Halicarnaſſ. lingua, nec barbara admodum, nec plenè Græca uterentur, ſed quadam miſta ex ambabus, major pars ejus fuerit Æolum. Lib. i. c. 90. *Ῥωμαῖοι δὲ φωνὴν μὲν, οὔτ᾽ ἄκραν βάρβαρον, οὔτ᾽ ἀπηρτισμένως Ἑλλάδα φθέγγονται, μικτὴν δέ τινα ἐξ ἀμφοῖν, ἧς ἐστιν ἡ πλείων Αἰολίς.* Ita in Latium non literas modo, ſed etiam, niſi me animus fallit, omne quod in lingua Latina fuit Æolum, attulerunt Pelaſgi.

CAP. IX.

Z literam de illis fuiſſe, quas ad Græcos Cadmus ex Phœnice attulit, quod ſenſit Ariſtoteles apud Plinium, atque inde in Alphabeto vetere Ionico locum habuiſſe, facilè creditur, cùm etiam nunc in novo Ionico Phœnicii Zain locum atque ordinem ſervat. Sed an eum locum in Pelaſgico etiam tenuerit, non ita clarum videri poteſt, quum in Alphabeto Latino, quod à Pelaſgico fuit ac pæne idem, poſt additas literas ultimum locum obtineat, & nihil opus eſſet iſta Latinis, niſi in Græcis verbis, ut dixit Terentianus Maurus Martialis poetæ æqualis. Sed ipſum audies,

Nihil

Nihil Auſoniis eſſe opus Υ ſonare dixi; } Carmen Sotadeum ſive
Et ζῆτα ſupremum, niſi Graia verba cogent. } Ionicum à majore.

Et Velius Longus, qui ante Antonini Pii principatum floruit, de Orthographia ſcribit pag. 81. Edit. Sanctandreanæ *Nam Z lingua Latina non agnoſcit, ideoque nec mentio illius unquam fuit, niſi primo poſtquam peregrina nomina hunc ſonum induxerunt.* Sed uterque Terentianus & Velius loquuntur de eo, quod tunc & diu, non quod ſemper & à principio fuit. Et agnoſcit Velius, cujus hæc de eadem litera ſequuntur verba, *Mihi videtur nec aliena ſermoni fuiſſe, cum inveniatur in carmine Saliari.* (id eſt, Numæ Pompilii regno, teſte Varrone initio ferè lib. v. de Lingua Latina) quod non potuit fieri, niſi Z in illo Alphabeto fuiſſet, unde ſuum acceperunt Latini, hoc eſt in Pelaſgico. Si roges, quî factum ſit, ut Z, ubi ſemel acceptum fuit, adeò tandem obſoleſceret, ut illam literam lingua Latina non agnoſceret; non habeo pro illa re quod reſpondeam, niſi ſi forte, ut in noſtra Britannia vulgus Dumnoniorum & vicinitates Belgarum Z pro S proloquuntur (ſicut pro *to ſit in the Sun, to zit in the Zun*; pro *a Sow, a Zow)* iti Latini contrà S pro Z proloquebantur primo, idque cùm multùm ac diu feciſſent, tandem, ut proloquebantur, ſcripſerunt.

CAP. X.

H literam in Alphabeto Pelaſgico fuiſſe non dubium eſt, quum in Alphabeto ſit Latino, quod ab illo ortum eſt, & in eo Phœnicii Heth locum atque ordinem teneat. Sed & in vetere Ionico fuiſſe ſatis certo ſcimus ex antiquis Himeræ in Sicilia nummis, HIMEPAION & HIMEPA apud Parutam Num. 2 & 4 (non, ut poſtea, IMEPA & IMEPAIΩN) ubi etiam O pro Ω habemus, ut ante Simonidem cuſi fuerint. Himeræi autem fuerunt Chalcidenſes, ut ſcribit Thucydides; Chalcis Athenienſium colonia, ut Strabo & Velleius. Ionia autem priſcis temporibus dicta fuit Attica, & ſub ea incluſa Megaris. Strabo. Scimus etiam ex Farneſiana columna viæ Appiæ, cujus auctor Herodes, ut ſe Atticum declararet, Atticas in ea inſcripſit literas. Ita vocabantur Ionicæ veteres Cadmi literæ, cum iis quas Palamedes addidit, ut diſtinguerentur ab Ionicis novis Calliſtrati, quæ ſunt hodie. Satis enim diu

poſt

Digitized by Google

poſt compoſitum hoc xxiv literarum Alphabetum, non eo, & ne quidem literis ab Simonide multo antè repertis, ſed illis veteribus retentis fuerunt uſi. Atque ita rem eſſe Harpocration indicat. Quum enim Demoſthenes in Orat. adv. Neæram pag. 873. Ed. Wolfii, dixerat, Καὶ αὕτη ἡ στήλη ἔτι καὶ νῦν ἕστηκεν, ἀμυδροῖς γράμμασιν Ἀττικοῖς δηλοῦσα τὰ γεγραμμένα. Harpocration ſcribit ΑΤΤΙΚΟΙΣ ΓΡΑΜΜΑΣΙ. Δημοσθένης κατὰ Νεαίρας, ἀντὶ τοῦ παλαιοῖς. Τὴν γὰρ τῶν εἴκοσι τεσσάρων στοιχείων γραμματικὴν ὀψέ ποτε παρὰ τοῖς Ἴωσιν εὑρεθῆναι. In Farneſiana ergo columna apud Gruterum pag. xxvii, literæ H pro aſpiratione, ſicut apud Latinos, occurrimus plus paullo, ut HO EſTIN pro ὅ ἐστιν, EN TEI HODOI pro ἐν τῇ ὁδῷ (ubi etiam habemus E & O pro brevibus & longis), HERODO pro Ἡρώδου (ubi habemus O pro ου), ENHODIA pro ἐνοδία, & HOI KIONEſ pro οἱ κίονες. Obſerva etiam D, R, ſ, Alphabeti veteris Ionici quemadmodum ad literas eaſdem Alphabeti Pelaſgici Latinas forma accedant propiùs. Quod ſi hujus columnæ auctoritas minùs apud aliquem valeat, ut quæ recentiorum eſſet temporum ſub Imp. Antonino Pio ~~defixa, apud veteres~~ Græcos, non minùs atque apud Latinos, H fuiſſe literam, indicat antiquiſſima illorum ratio numerandi per literas primas nominum quibus numerabatur. Ut enim I erat *unus* ab nomine antiquo ἴος (quod apud Homerum occurrit Il. z. 422. Τοὶ μὲν πάντες ἰῷ κίον ἤματι ἄϊδος εἴσω. Ubi Scholia Ἰῷ ἤματι] Ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ), Π *quinque* à πέντε, Δ *decem* ab δέκα, & X *mille* abs χίλιοι, ita H erat *centum* ab HEKATON, quæ ratio numerandi eſt in Chronico marmoreo Oxonienſi, multo omnium, quæ adhuc reſtent antiquiſſimo, ſicut num. 4. ETH XHHHΔΠIII pro annis MCCCXVIII. Quod non poterat fieri, niſi H fuiſſet litera ſui nominis prima, ſicut cæteri quidem numeri ſunt quiſque ſui, Velius Longus pag. 84. H *litera tanquam ſonus magis ſit quàm litera, & accedens literæ: & utuntur auctoritate Græcorum, apud quos ut ſupervacua ſublata eſt. Fuiſſe tamen & apud illos manifeſtum eſt ex veteribus ſcriptis, & ex eo quod hodie (cùm apud illos numeri prima ſemper litera nominis quo ſignificantur notentur, ut* δέκα, πέντε) ἑκατὸν *per* H *notetur. Unde apparet hanc literam loco adſpirationis fuiſſe: alioquin per* E *notaretur.* Πέντε pro πεντήκοντα reſcripſi, cùm prima litera Π πέντε, non πεντήκοντα, notet. Quod corrigitur ἑκατὸν *per* H *notatur*, facilè probant illa in extremo verba *alioquin per* E *notaretur.*

In

In verbis *banc literam loco adſpirationis non fuiſſe* delevi *non*, ſenſu ita poſtulante, cùm *loco adſpirationis fuiſſe* ſit pro notâ adſpirationis, qua nunc utantur, id eſt, ſpiritu aſpero, fuiſſe. Qui autem Græci fuerint, quæris? Attici fuerunt, ut ſcribit Scaurus ferè Velii æqualis in Putſchii Grammaticis pag. 2258. *Quibus primùm illud reſpondemus* H *& eſſe literam, & apud Græcos quoque fuiſſe, quod ſignificant Attici, qui principes literarum, à quibus eorum nomina incipiunt, numeris notantes, bac quoque in eadem ſignificatione utuntur.* Id eſt, ut ego intelligo, " qui facientes primas literas, " à quibus numerorum nomina incipiunt, iis notas, H quoque litera pro " numero ἑκατὸν utantur. Illi autem Græci, apud quos H fuit litera, adeoque Attici, Græcorum antiquiſſimi fuerunt, ut ſcribit Priſcianus apud Putſchium pag. 560. H *literam non eſſe oſtendimus, ſed notam aſpirationis, quam Græcorum antiquiſſimi ſimiliter ut Latini in verſu ſcribebant.* Ubi *in verſu* eſt in linea. In ſcriptura enim ſingulæ lineæ dicuntur *verſus*. Sed quid opus fuit teſtes facere, Atticos litera H uſos fuiſſe? Cum id ipſum evincit Chronicon Marmoreum, quod ſuprà commemoravi, in quo Epocharum, unde intervalla putat, gradus communes omnium & perpetui ſunt aut Reges, aut Archontes, Athenienſium. Poſt hæc ſolum unum hoc addam è Maria Victorino, quem aliquis putat Hieronymi magiſtrum, in Putſchii Grammat. pag. 2459. *Græci ſequebantur ſonum tantummodo literarum* θ, φ, χ, *priuſquam à Simonide invenirentur, exprimebant juxta* τ, *& juxta* π *&* κ, *adſpirationis notam* H *ponenda.*

C A P. XI.

Koppa, ſive, ut apud Phœnices erat nomen, Koph, Græcis etiam literam fuiſſe ſatis certò ſcimus è nummis quibuſdam inſignibus & antiquiſſimis in Spanhemii Diſſert. de Præſt. & Uſ. Numiſm. p. 96. quorum duo ſunt Crotonis Græcæ urbis in fronte Italiæ, inſcripti, alter ϘΡΟΤ, alter ΟΊϘ ab dextera ad ſiniſtram: unus Syracuſarum ΣΥΡΑϘΟΣΙΟΝ, ubi habemus etiam Ο pro Ω; denique unus Corinthi, in quo Pegaſus, quod inſigne urbi eſſe conſueverat, inſcriptas Ϙ. In quibus omnibus illud Ϙ, Koppa, litteræ K, ſeu Kappæ, vicem præſtat. Quanquam autem huic literæ Koppa eadem fuit poteſtas, quæ literæ Kappa eſt, ut qui alteram haberent, altera facilè poſſent carere, diverſæ tamen omnino fuerunt literæ, ut earum forma in nummis demonſtrat, è diverſis ortæ Phœniciis, Caph, & Koph; unde quid ſit ὁ *Κοππατίας*

apud

apud Ariſtophanem in Νεφέλαις v. 23. Ὅτ' ἐπριάμην τὸν Κοππατίαν, ſcimus, nempe equus, in quo nota impreſſa atque inuſta eſſet Koppa, quod Heſychio eſt p averſum, & propiùs accedit ad Latinorum q; Κοππατίας, ἵππος κεκαυμένος, ἐντετυπωμένον ἔχων σημεῖον τὸ Κόππα, ὅ ἐστιν ἀπεστραμμένον p. Non verè ergo dicit Scholiaſtes Ariſtophanis, Κοππατίας ἵππους ἐκάλουν, οἷς ἐγκεχάρακτο τὸ κ στοιχεῖον, ὡς σαμφόρας, τοὺς ἐγκεχαραγμένους τὸ σ. Quum igitur literæ Koppæ poteſtas eadem fuerit, ac Latinorum q, neque abſimilis forma, eam fuiſſe literam in Alphabeto Pelaſgico, (unde ad Latinos devenerit, & apud eos Phœnicii Koph ordinem ſervat) facilè concedes. An verò, inquies, Pelaſgi fuerunt Crotonienſes, Syracuſani, & Corinthii, qui ea litera fuerunt uſi? Non Crotonienſes erant Achæi, ut ſcripſit Strabo p. 262. Syracuſas abs Corinthiis initio conditas fuiſſe, tradunt Thucydides & Cornelius Nepos. Et paullo poſt reditum Heraclidarum in Peloponneſum, Aletes, quintus ab Hercule, Corinthum, quæ antea fuerat Ephyre, condidit, ut ſcribit Paterculus i. 3. Qui factum eſt ergo, ut, qui non erant Pelaſgi, Pelaſgici Alphabeti litera uterentur? Achæorum gens Æolici generis fuit, unde Straboni ſunt Αἰολικὸν ἔθνος p. 333. Οἱ μὲν οὖν Ἴωνες ἐξέπεσον πάλιν ταχέως ὑπὸ Ἀχαιῶν Αἰολικοῦ ἔθνους. Nempe è regione in Peloponneſo, cui poſtea ab ipſis Achaia erat nomen. Æoles autem ſuprà demonſtraveram literas à Pelaſgis ſuas accepiſſe. At Corinthii, atque adeò Syracuſani, inquies, non Æoles, ſed Dores fuerunt, τῶν Ἡρακλειδῶν τοὺς Δωριέας καταγαγόντων, ut dicit Strabo ibid. Idem verò dicit, Doricam dialectum eandem eſſe atque Æolicam, ſicut Ionicam atque Atticam. Διαλέκτων τῶν Ἑλληνίδων τεσσάρων οὐσῶν, τὴν μὲν Ἰάδα τῇ παλαιᾷ Ἀτθίδι τὴν αὐτὴν φαμὲν,——τὴν δὲ Δωρίδα τῇ Αἰολίδι. Ubi docet quatuor illas dialectos Græciæ ad duas poſſe revocari, cùm Ionica ſit vetus Attica, Dorica non alia atque antiqua Æolica, quæ integra permanſit diu. Adeò ut ejuſdem dialecti populis eaſdem fuiſſe literas prorſus ſit credibile.

C A P. XII.

San & Sigma literam fuiſſe eandem (nempe Σ) ſed diverſis Græciæ populis, Herodotus dicit lib. i. 139. de Perſarum nominibus, τελευτῶσι πάντα ἐς τωὐτὸ γράμμα, τὸ Δωριέες μὲν σὰν καλέουσι, Ἴωνες δὲ σίγμα. Quòd ſi San eam vocabant literam Dores, tum ita vocabant Æoles,

quorum

quorum dialectus fuit à principio eadem ac Dorum, & Pelaſgi ſimul, unde primùm literas acceperunt, tum Æoles, tum Dores. Quanquam autem Græcis Σ una erat litera cum gemino nomine, verumtamen Phœnicibus gemina fuit ejus poteſtatis litera, Samech, & Sin; quorum à poſteriore primùm fuit Pelaſgis ſuum San; pòſt deinde à priore Ionibus Sigma, ut ab Samech per Metatheſin fuerit Sechma, Sigma. Nam niſi priùs fuiſſet Pelaſgicum San, num cenſes Ionicum Sigma, non Phœnicii Samech, ſed Sin locum atque ordinem teneret? Ab San Σαμφόρας vocabant equos, qui impreſſam haberent literam Σ, quaſi σὰν φοροῦντας. Athenæus pag. 467. καὶ τοὺς ἵππους τοὺς τὸ σ̄ ἐγκεχαραγμένον ἔχοντας, σαμφόρας καλοῦσιν. Quod nomen apud Ariſtophanem occurrit plus ſemel, ſicut Ἱππεῖς v. 600.—οὐκ ἐλᾷς, ὦ Σαμφόρα;—atque, ut & Κοππατίας, abs cujus dialecti populis eſſet equus, certè non ab Ionibus fuiſſe, declarat maximè.

C A P. XIII.

Plinii verba ſunt hæc de literis, lib. vii. cap. 56. *Utique in Græciam intuliſſe è Phœnice Cadmum ſedecim numero.* Quæ ita intelligo, quaſi dixiſſet, "Ex Ionico novo literarum xxiv Alphabeto, quo nunc utuntur "Græci, literas ſedecim numero in Græciam intuliſſe Cadmum è Phœ- "nice, quibus à Phœnicibus in diſciplina acceptis veteres Iones antiqui- "tus fuerant uſi: non quod non Phœnicium literarum xxii Alphabetum in Græciam intulerit è Phœnice Cadmus; cum veteres Iones literas ſeptemdecim, & Pelaſgi priùs octodecim numero, de quibus ſuprà demonſtratum eſt, acceperunt. Neque aliter accipiendi ſunt multi alii, qui Plinium in hac re de literis ſedecim numero ſequuntur.

C A P. XIV.

Cum Tau litera fuerit ultima Phœnicii Alphabeti, ut nunc eſt Samaritani, facilè poſſum credere, etiam ultimam fuiſſe earum, quas à Phœnicibus acceperunt Græci; atque adeò Υ unam earum non fuiſſe. *Ariſtoteles* (ut Plinius addit) *x & viii priſcas fuiſſe* [vult], Α Β Γ Δ Ε Ζ Ι Κ Λ Μ Ν Ο Π Ρ Σ Τ Υ Φ. Quarum ſedecim numero priores Cadmi, reliquas duas, quamvis priſcas, additas fuiſſe puto: ideoque hæ, ut extra Alphabetum Phœnicium, inferiores loco ſunt, ita ut literæ cum Υ ſint ſemptemdecim, cum Φ duodeviginti numero. Atque ita Ariſtoteli cum illis, qui faciunt Cadmi literas ſedecim numero, bene convenit:

itáque

itáque quàm maximè noſtra ſententia de Alphabeto vetere Ionico confirmatur.

CAP. XV.

Apud Hebræos " Vocales ſimul & conſonantes, Jod, & Vau, dicit Reuchlin de Rudiment. Hebraic. Epilog. de Element. Perſarum regum nomina " *Darius* & *Cyrus*, ſi Hebraicè ſine punctis ſcribantur, & Jod " pro J, Vau pro V vocalibus, poſitum ſtatuas, longè fæliciùs exprimuntur, quàm ſi cum punctis legas *Dariaves* & *Cores*. Voſſius de Art. Grammat. lib. i. c. 3. Addo *Vlai* Dan. viii. 2. (Plinio *amnis Eulæus, qui circuit arcem Suſorum*) in quo nomine, & aliis, etiam cum punctis, Vau vocalis eſt, Hebræis Vau Cholem. Pœnis quoque Vau vocalis crebro ſolebat eſſe. Bochartus in Geogr. Sacr. lib. i. c. 24. " Non " fruſtra per V ſcribitur *Adrume* vel *Adrumetum* [Africæ propriè dictæ " urbs] nam illud V Pœnis idem eſt quod Hebræis Vau Cholem. Tale " *Azrubal*, [Græcis & Latinis] *Aſdrubal*. Quod ſi Vau Hebræis antiquis; & item Pœnis, atque adeò Phœnicibus ex quibus orti fuerunt Pœni, uſum vocalis V præbuit, qui minus credam, apud vetuſtiores Pelaſgos, qui hanc ipſam literam unà cum cæteris à Phœnicibus acceperunt & cum Æolibus communicârunt, eundem uſum vocalis habuiſſe? Adeò ut Æolici generis populis nihil litera opus eſſet Υ.

CAP. XVI.

Magnam fuiſſe olim inter O & V ſoni vicinitatem, fidem facit crebra earum alterius in alteram commutatio facta. Quinctilianus dicit lib i. c. 4. *Quid O atque V permutata invicem? Ut* Hecoba *&* notrix, Culchides *&* Pulyxena *ſcriberentur*; *ac ne id in Græcis tantum notetur*, dederont *ac* probaveront. *Sic* Ὀδυσσεύς, *quem* Οὐδυσσέα *faciunt Æoles, ad* Ulyſſem *deductus eſt*. Idem c. 7. ſcribit, *Noſtri præceptores* cervom ſervom*que ſcripſerunt*. quod non feciſſent, niſi veteres o pro u fuerant uſi frequentes. Dicit etiam Priſcianus, lib. i. p. 554. Ed. Putſchian. V *quoque multis Italiæ populis in uſu non erat, ſed è contrario utebantur* O. *Unde Romanorum quoque vetuſtiſſimi in multis dictionibus loco ejus* O *poſuiſſe inveniuntur, poblicum pro publicum, quod teſtatur Papyrianus de Orthographia, polchrum pro pulchrum, colpam pro culpam dicentes, & Hercolem pro Herculem. Et maximè Digamma antecedente hoc faciebant, ut ſervos pro ſervus, volgus pro vulgus, Davos pro Davus.* Ut ergo multis Italiæ populis res ſe habuit, cur

cur non Ionum quoque vetuſtiſſimis ita ſe habere potuerit; ut Υ vocali aliquandiu carerent, & in ejus loco uterentur O, non ſatis video, nec rationem capio. Grammaticos confirmant nummi & ſaxa apud Spanhemium de Præſt. & Uſu Numiſm. p. 121. " Ita O viciſſim pro V, " uti in nummis Jul. Cæſaris DIVOS IVLIVS; in aliis [Trajani & " Hadriani] AEGYPTOS; & in denariis gentium Romanarum, M. " VOLTEI. M. F. & VOLCANO, eadem ratione, qua CONSOL, " HERCOLI aliquoties in ſaxis. In Latinis quidem, inquies, qualis inter ſe commutatio fieret O & V literarum, ex quo apparet etiam eas referre pæne eundem, certè finitimum in pronuntiando ſonum, ſatis commemoratum eſt: verùm vis oſtendam, ita quoque in Græcis rem fuiſſe, quî faciliùs credas, Υ unam ſedecim Cadmi literarum non fuiſſe. Age, fiat. Sappho igitur Æolia puella ὄσδων habet *ramorum*, apud Hermogenem περὶ Ἰδ. τόμ. B. cap. περὶ γλυκυτ.

Ἀμφὶ δ' ὗδωρ ψυχρὸν κελαδεῖ δι' ὄσδων μαλίνων.

[Verſus cujus prior pars eſt hepthemimeris dactylica, poſterior tres ultimi pedes Iambici] *Et circum aqua frigida ſonat inter ramos arborum malorum.* ita enim legitur in Aldi Rhet. & in Hermog. Edit. Pariſin. Wechelii: ita in Urſini Lyric. Fragm. ὕσδων ab Laurentio & Cocino in ὄσδων converſum nihili pendo; ſed miror unde habuerint. Pro ὕσδος Ionibus priſcis fuit ὄζος, quo verbo frequens utitur Homerus, ſicut Il. A. 234.

Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον, τὸ μὲν ὔποτε φύλλα καὶ ὄζυς
Φύσει.——

Pindarus habet ὄνυμα *nomen*, Olymp. Od. vi. v. 95. Τοῦτ' ὄνυμ' ἀθάνατον. Doribus etiam, ſed novis, fuit ὄνυμα, ut quidam ex Pythagoreis, qui Doricè ſcripſit Diſſertationes, ſic demonſtrat, pag. 727, in Galei Opuſcul. παρ' ὧνπερ καὶ τὰ ὀνύματα μανθάνομεν. *Abs quibus etiam nomina* rerum *diſcimus.* Et in ſequent. pag. αἰ δέ τῳ μὴ πιςὸν ἐςὶ τὰ ὀνύματα μανθάνειν ἅμα. *Quod ſi cui non credibile eodem tempore nomina diſcere.* Ionibus autem priſcis fuit ὄνυμα. Unde Homerus Od. Δ. 710.

Ἦ ἵνα μηδ' ὄνομ' αὐτοῦ ἐν ἀνθρώποισι λίπηται.

Ita in derivatis ab ὄνομα, Pindarus habet ὀνύμαξε pro ὠνόμασε Pyth. Od. ii. v. 82. Τὸν ὀνύμαξε τραφοῖσα Κένταυρον. Et è Doribus Metopus Pythagoreus ὀνυμάζεται in Galei Opuſc. p. 686. καὶ τούτω τὸ μὲν οἷον ἀμυν-

τικὸν

τικὸν ϗ ὑπερμαχατικὸν ποτὶ τὼς πλασίον, θυμοειδὲς ὀνυμάζεται. *Atque hujus id quod ſit ardor ulciſcendi propugnandique contra eos, cum quibuſcunque ſumus unà, iracundia appellatur.* Ionibus autem priſcis fuit ὀνομάζω. Unde Homerus Il. A. 361.

Χειρί τέ μιν κατέρεξεν, ἔπος τ' ἔφατ', ἐκτ' ὀνόμαζε.

Ita Doribus fuit ὀνυμαίνω. Timæus Locrus in Galei Opuſc. p. 557. ὁκόσαι δὲ [κινάσιες] ἀποκαθιςᾶντι [τὰν φύσιν] ἐς αὐτὰν, ἁδοναὶ ὀνυμαίνονται. *Quicunque autem* [motus naturam] *ſibi ipſam reſtituunt, appellantur voluptates.* Ionibus autem priſcis fuit ὀνομαίνω. Unde Homerus Il. B. 488.

Πληθὺν δ' οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι, οὐδ' ὀνομήνω.

At enim Ionibus ipſis aliquot erant ex ὄνομα compoſita, quæ in υμος deſinunt, ſicut δυσώνυμοι *quibus malum eſt nomen* apud Homerum Il. Z. 255.

Ἦ μάλα δὴ τείρουσι δυσώνυμοι υἷες Ἀχαιῶν.

Ἐπώνυμοι, ſubintellecto ὄνομα, *cognomen.* Il. I. 558.

Ἀλκυόνην καλέεσκον ἐπώνυμον——

id eſt, κατ' ἐπώνυμον ὄνομα. Νωνύμους Il. M. 70.

Νωνύμους ἀπολέσθαι ἀπ' Ἄργεος ἐνθάδ' Ἀχαιούς.

Ὁμώνυμοι *qui ſunt eodem nomine* Il. P. 720.

Ἶσον θυμὸν ἔχοντες ὁμώνυμοι.——

Et ἀνώνυμος *cui non eſt nomen,* Od. Θ. 552.

Οὐ μὲν γάρ τις πάμπαν ἀνώνυμός ἐστ' ἀνθρώπων.

Item alia multa hujuſmodi apud ſcriptores poſt Homerum, de quibus tu videſis Hen. Stephani Theſaurum. Iones autem, unde Homerus ſua ex ὄνομα compoſita in νυμος deſinentia habuit, non dubito, quin ab Æolibus à principio acceperint, quibus ipſum primitivum erat ὄνυμα, quique ſemper ſimiles ſui in omnibus derivatis & compoſitis υ retinebant: adeò ut non videatur, Æoles ο in υ, ſed Iones υ in ο convertiſſe. Certè hæc earum vocalium inter ſe facta commutatio oſtendit eas apud Græcos etiam propè unum atque idem ſonuiſſe. Sed pergamus. Heſychius habet Ἄπυθεν, ἄποθεν. Item τρυφαλίδες ἢ τροφαλλίδες τὰ τμήματα τοῦ ἁπαλοῦ τυροῦ. Joannes Grammaticus (qui & Philoponus) περὶ τῆς Αἰολίδος *de Æolica dialecto.* Τῷ υ ἀντὶ τοῦ ο στοιχείῳ χρῆται. Τὸ γὰρ ὅμοιον ὕμοιον λέγει. quod Etymologicum Magnum in Γυνὴ confirmat; & Corinthus, ſeu Georgius Pardus Corinthi metropolita, περὶ Αἰολίδος. Idem

etiam

etiam iterum Ἀντὶ δὲ τῦ ο, [οἱ Αἰολεῖς τιθέασι] τὸ υ. Ὀμφαλὸς ὐμφαλός, μόγις μύγις, ὅμοιον ὔμοιον. An μόγις eſſet μύγις, haud ſcio; ſed ὀμφαλὸν fuiſſe ὐμφαλὸν, nos certiores facit Latinum verbum, quod ab eo eſt, *umbilicus*. Etymologicum Magnum in Ῥοφῶ, οἱ δὲ Δωριεῖς ῥυφῶ. neque in hoc cum Philopono pugnat, cùm, ut Sylburgius cenſet, Æolica & Dorica dialectus affines fuerunt, & nos ſuprà demonſtravimus. Euſtathius ad Homerum p. 631. Τῦ δὲ σοφῦ, συφῦ λεγομένυ Αἰολικῶς, καθὰ ϗ τὸ ὄνομα, ὄνυμα, ϗ τὸ ἀσσότερον, ἀσσύτερον, ϗ ἀγορὰ, ἄγυρις, ὅθεν ϗ ἡ ὁμήγυρις ϗ πανήγυρις, ϗ τανάποδα, τανύποδα, ϗ ὄπτιος, ὔπτιος. De σοφὸς quidem dicto συφὸς, ſicut τὸ ἀσσότερον ἀσσύτερον, & ὄπτιος ὔπτιος non ita certum videtur; atqui τὸ ὄνομα dictum fuiſſe ὄνυμα, ſuprà demonſtravimus: & nunc volumus de reliquis duobus exquirere quid in illis certi ſit. Ἀγορὰ & ἄγυρις idem ſignificant, ejuſdemque ortûs ſunt. Etymologicum Magnum Ἄγυρις, παρα τὸ ἀγείρω, ἐξ ῦ ϗ ἀγορὰ γίνεται, ϗ ἀγορῶ ῥῆμα. ἐξ ῦ ὄνομα θηλυκὸν ἄγορις. καὶ τροπῆ τῦ ο εἰς υ [Αἰολικῶς Euſtathius ſuprà], ἄγυρις, ἡ ἄθροισις. Utraque ἀγορὰ (ſed Ionicè ἀγορὴ) & ἄγυρις apud Homerum occurrunt, ſicut Il. A. 54.

Τῇ δεκάτῃ δ' ἀγορήνδε καλέσσατο λαὸν Ἀχαιῶν.

Ubi Euſtathius ἀγορήνδε ἀντὶ τῦ εἰς ἀγορὰν. Il. autem Π. 661.

Κείμενον ἐν νεκύων ἀγύρει——

Et compoſitum ejus ὁμήγυρις Il. Υ. 142.

Ἄψ ἴμεν Οὔλυμπόνδε θεῶν μεθ' ὁμήγυριν ἄλλων.

Alterum compoſitum πανήγυρις ſatis frequens eſt apud Atticos ſcriptores. unus citetur teſtis Thucydides lib. i. c. 25. ὄτε γδ ἐν πανηγύρεσι ταῖς κοιναῖς διδόντες γέρα τὰ νομιζόμενα, *neque enim in communibus Græciæ omnis conventibus honorem ipſis, quod jus eſt, habentes.* Et v. 50. δέος δ' ἐγένετο τῇ πανηγύρει μέγα, *& metus erat magnus communi omnium conventui.* Non dubium eſt, quin Homerus cum ἀγύρει ὁμήγυριν, & Attici ſuam πανήγυριν, Æolibus deberent. Æolica enim fuerunt. Verùm, quod dicendum hîc ſit, quidquid dicunt Grammatici, Iones & Attici ο litera pro υ fuerunt uſi potiùs, quàm Æoles & Dores υ pro ο. Æoles enim, ut ſuprà demonſtravimus, primi à Pelaſgis, ut Pelaſgi à Phœnicibus acceperunt literas. Dorum autem lingua Græcorum antiquiſſima fuit, prop-

terea

terea quod regionem incolentes aſperam & montuoſam inter Parnaſſon & Oetæum ſaltum, neque habentes ullum cum extrariis commercium, haud mutârunt linguam cæteroſque mores in alienos, ſicut Æoles, quum priùs ejuſdem erant generis. Strabo p. 333, ubi docet dialectum Doricam non fuiſſe aliam atque antiquam & incorruptam Æolicam, Κα τὺς Δωριέας δὲ ὀλίγυς ὄντας, ϗ τραχυτάτην οἰκῦντας χώραν, εἰκός ἐςι τῷ ἀνεπιμίκτῳ μὴ παρατρέψαι τὴν γλῶτταν ϗ τὰ ἄλλα ἔθη πρὸς τὸ μὴ ὁμογενὲς, ὁμογενεῖς πρότερον ὄντας. Non tamen ita mutârunt linguam Æoles, ut non cum Doribus retinerent ῡ ubi Iones & Attici habebant ō, ut vidimus, & confirmant Grammatici, dum iſtam faciunt mutationem Æolicam. Sed abs quibus mutationem factam videtur magis veriſimile eſſe? ab iis, qui primùm, an qui pòſt Phœnicias acceperunt literas? ab iis, qui habebant Vau, neque Υ deſiderabant, an ab iis, qui non habebant Vau, necdum Υ? Ab iis, qui in hac re antiquiſſimam Græcorum linguam, nihil mutatam, incorruptam & integram, ſequebantur, & ſibi conſtabant, an ab iis qui in eodem nomine ac compoſitis nunc ō litera, nunc ῡ utebantur, quique ſuam ipſi mutabant linguam, ut ex Ionica dialecto intelligi poteſt, quæ vetus fuit Attica? Unde igitur tanta in hac re Grammaticorum conſenſio fuit, nempe hanc mutationem fuiſſe Æolicam? Rogas? *Una urbs Attica*, inquit Velleius Paterculus lib. i. cap. 18. *pluribus annis eloquentia, quàm univerſa Græcia, uberiuſque floruit; adeò ut corpora ge tis illius ſeparata ſint in alias civitates, ingenia verò ſolis Atbenienſium muris clauſa exiſtumes.* Grammaticos ergo, Atticæ dialecto tantummodo ea, quæ Atticis erant propria, neque aliorum communia, adnumerantes, omnia orationis verba cæterarum dialectorum ad Atticam linguam, tanquam ad exemplar bene loquendi, retuliſſe haud mirabile eſt. Neque ab ἀγέρω, pro ἄγορις, quod Etymologus dicit, eſt ἄγυρις, ſed ab Æolico verbo αγύρω, unde verbale ἀγυρμος. Heſychius Ἀγυρμὸς, ἐκκλησία, συγκρότησις [*multitudo coacta*], ἔςι δὲ πᾶν το αγειρόμενον. καὶ τῶν μυςηρίων ἡμέρα πρώτη. id eſt, primus dies Eleuſinorum ſacrorum Cereris, quæ dicta ſunt μυςήρια per eminentiam, quo die *collecti* initiabantur. Atque hunc forte reſpexit Dionyſius Halicarn. Antiquit. Rom. lib. ii. c. 19. ubi docet non fuiſſe apud Romanos inſana & furioſa Græcorum ſacra, ὁ κορυβαντιασμὸς [*non Corybantum* Rheæ ſacerdotum

ſacerdotum *furoris fanatici afflatus*], ȣ̓κ ἀγυρμὸς [ita codex Vaticanus], ȣ̓ Βακχείας [*non baccbationes*]. Neque Atticis pro primo Eleuſiniorum die fuit uſus τȣ̃ ἀγυρμȣ̃ modo, ſed etiam compoſitum ex illo συναγυρμὸν habet Plato in Politico, tom. ii. p. 272. Ἔι τινά τις [φύσις] ἰδίαν δύναμιν ἔχȣσα ᾔσθετό τι διάφορον τῶν ἄλλων εἰς συναγυρμὸν φρονήσεως. *Si qua, vim in ſe ullam & poteſtatem habens propriam, quidquam ſenſit, quod differat abs cæteris, ad colligendam prudentiam.* Ab eodem verbo ἀγύρω eſt & aliud verbale ἀγυρτὸς *collectus*, ex quo compoſitum συναγυρτὸς eſt apud Platonem de Legibus lib. viii. tom. ii. p. 845. Ἂν τις διαφθείρῃ ἑκὼν ὕδωρ ἀλλότριον, εἴτε ϗ πηγαῖον, εἴτε ϗ συναγυρτόν.—— *Si quis prudens, ſciens, aquam corrumpat alienam, ſive iſta ex fonte fluit, ſeu collecta eſt.* Ab ἀγυρτὸς eſt ἀγυρτάζω verbum Homericum Od. T. 284.

Χρήματ᾽ ἀγυρτάζειν ——

Res dono datas *colligere.* Scholia ad locum Αγυρτάζειν] Ἀθρόζειν. quam interpretationem Homeri ipſius auctoritate confirmat Euſtathius; Ὅτι δὲ τὸ ἀγυρτάζειν ϗ ἀγείρειν λέγεται, δῆλον ἐκ τȣ̃, ὅσα ξυναγείρατ᾽ Ὀδυσσεύς, v. 293. Verſus eſt totus

Καί μοι κτήματ᾽ ἔδειξεν, ὅσα ξυναγείρατ᾽ Ὀδυσσεύς.

Et bona ei poſſeſſa mihi oſtendit, quæcunque Ulyſſes collegit.

hinc enim certum eſt χρήματ᾽ ἀγυρτάζειν idem eſſe, quod κτήματα ξυναγείρειν. Reſtat Euſtathii ταναόποδα, ταναύποδα dictum Æolicè, quod nobis conſiderandum eſt. Eſt quidem apud Homerum Od. I. 464.

Καρπαλίμως δὲ τὰ μῆλα ταναύποδα——

Citoque oves ſe pedibus extendentes.

Sch. Ταναύποδα] Τεταμένοις τοῖς ποσὶ βαδίζοντας. Ταναύπȣς autem compoſitum eſt ex ταναὸς *extentus* & πȣ̀ς *pes.* Ταναὸς abs τείνω, Aoriſt. 2. ἔτανον, eſt Homericum Il. Π. 589.

Ὅσση δ᾽ αἰγανέης ῥιπὴ ταναοῖο τέτυκται.

Quantus autem eſt teli longi jactus.

Schol. Ταναοῖο] Ἐις μῆκος τεταμένης, μακρᾶς. Ταναὸς autem cum πȣ̀ς compoſitum facit ταναόπȣς, ſicut ταναὸς & δειρὴ ταναόδειρος. Ariſtophanes in Avib. 255.

Οἰωνῶν τῶν ταναοδείρων.

Alitum, quibus collum procerum eſt.

qui cùm ſit verſus, ſecundùm Scholia, dactylicus tetrameter, eſt quod Græci vocant λαγαρὸς. Prima enim ſyllaba in τανυοδέρων brevis eſt, ut vidimus. Sed quando in carmine Heroico tres breves concurrunt, poëtæ Græci per licentiam primam ex illis metri neceſſitate producunt. Ita vero, ut ταναὸς & δειρὴ ταναόδειρος, ταναὸς & πὺς in compoſitione facit ταναόπυς, Æolicè ſecundùm Euſtathium ταναύπυς, unde duarum brevium vocalium in diphthongum contractione Homero fit τὰ μῆλα ταναύποδα. Nec ταναόπυς modo, ſed etiam τανύπυς in eadem ſignificatione occurrit, ſicut apud Sophoclem in Ajace v. 848.

Σέμνὰς Ἐρινῦς, τανύποδας.——

Verendas Furias, ſe pedibus extendentes.

Scholia Τανύποδας] τὰς ἀκοπιάστως ἐπιούσας. Verum τανύπυς compoſitum eſt ex τανύω, quod non primam ſyllabam modò, ut ab ἔτανον Aoriſt. 2. τοῦ τένω, ſed etiam ſecundam ſemper habet brevem, ſi non obſtat poſitio. quamobrem illic in Homero non poteſt habere locum, ut rectè vidit Barnæſius. Ex hoc igitur O & V, vocalium duarum non ita diſſimili ſono, inter ſe permutatione, cum apud Græcos, tum apud Romanos, ſcias Iones etiam, qui Vau litera ſeu Digamma carebant, aliquandiu uti potuiſſe O pro Υ; adeò ut non neceſſe fuerit Υ literam inter ſedecim numero Cadmi fuiſſe. immo non potuit eſſe, cum Tau Alphabeti Samaritani, quod olim fuit Phœnicium, ſit poſtrema litera, nec litera in illo Alphabeto ulla, niſi Vau ſit, poteſtatem in ſe habeat τοῦ Υ.

C A P. XVII.

E literis Cadmeis Υ & Φ eſſe haud potuerunt, ut ſuprà oſtendi, cum neque hæc, neque illa, in Alphabeto ſit Samaritano, quod idem ac Phœnicium fuit; & nemo poſſit alii dare, quod ipſe non habeat. Sed tamen, cum Ariſtoteles vult eas ſolas cum Cadmeis fuiſſe priſcas; ſi non fuerunt Cadmeæ, fuerunt primæ apud Græcos Cadmeis adjectarum. Qui primus Cadmeis adjecerit literas per Plinium cognovimus, loco jam citato lib. vii. cap. 56. quanquam de ipſis adjectis literis digreditur ab Ariſtotele; *Utique in Græciam intuliſſe è Phœnice Cadmum ſedecim numero. Quibus Trojano bello Palamedem adjeciſſe quatuor hac figura* Θ, Ξ, Φ, Χ. De illo, qui primus literas adjecit, & de tempore, quo adjecit, Plinium

Plinium confirmat Iſidorus lib. i. Origin. cap. 3. quanquam de literis adjectis, hic etiam tantùm à Plinio recedit, quantùm Plinius ab Ariſtotele. Quas igitur literas Trojano bello Cadmeis Palamedes adjecit, eas Ariſtotelem vocâſſe priſcas, haud mirabile eſt. Sed in his tam variis de hac re Scriptorum ſententiis, quî ſciri poteſt, inquies, an Υ & Φ ſint literæ, quas Palamedes Cadmeis adjecit? Palamedes, ut fertur, primus obſervavit figuras, quas in volando, cùm loca calidiora petentes maria tranſmittant, ſuo agmine efficiunt grues, atque inde ſuas formavit literas. Hinc Palamedis aves dictæ ſunt grues. Certè ita vocat Martialis in Xeniis, lib. xiii. ep. 75, quod eſt *Grues* inſcriptum.

Unam perdideris ſi Palamedis avem.

Sed apertè id nos docet Philoſtratus in Heroicis cap. x. 3. Ἐν ἐκκλησίᾳ δέ ποτε τῶν Ἀχαιῶν ὄντων, γέρανοι μὲν ἔτυχον πετόμεναι τὸν εἰωθότα ἑαυταῖς τρόπον. Ὁ δὲ Ὀδυσσεὺς ἐς τὸν Παλαμήδη βλέψας, αἱ γέρανοι, ἔφη, μαρτύρονται τοὺς Ἀχαιοὺς, ὅτι ἀυτάι [non αὗται] γράμματα εὗρον, οὐχὶ σύ. Καὶ ὁ Παλαμήδης, ἐγὼ γράμματα οὐχ εὗρον, εἶπεν, ἀλλ' ὑπ' ἀυτῶν εὑρέθην. Πάλαι γὰρ ταῦτα ἐν Μουσῶν οἴκῳ κέιμενα ἐδεῖτο ἀνδρὸς τοιούτου. Θεοὶ δὲ τὰ τοιαῦτα δι' ἀνδρῶν σοφῶν ἀναφαίνουσι. *Concione autem aliquando habita Græcorum, fortè grues conſueto more volabant. Ulyſſes continuò Palamedem intuens, Se, inquit, non te inveniſſe literas, id grues teſtantur Græcos. Et Palamedes dicebat, Ego non inveni literas, ſed ab ipſis ſum inventus. Jampridem enim hæ apud Muſas poſitæ domi talis indigebant viri. Dii autem talia per viros ſapientes patefaciunt.* Conſuetum autem morem volandi gruum ex Ariſtotele habet Cicero ii. De Natura Deorum c. 49. qui tamen locus Ariſtotelis temporis injuria periit. Quod ad nos attinet, hoc eſt, *Grues, cùm loca calidiora petentes maria tranſmittant, trianguli efficiunt formam: ejus autem ſummo angulo aër ab iis adverſus pellitur: deinde ſenſim ab utroque latere, tanquam remis, ita pennis curſus avium levatur. Baſis autem trianguli, quem grues efficiunt, ea tamquam à puppi, ventis adjuvatur.* Ciceronem confirmant Plutarchus de Solert. Anim. Ælianus H. A. (quem Apoſtolius locum ſumſit ſibi in Prov.) Tzetzes in Chil. & Phile de Animal. Propr. Ergo, inquies, ſi gruum admonitus volatu Palamedes trianguli formam litera expreſſit; tum Δ Palamedis fuit litera, quâ planè atque omnino triangulus exprimitur. Verùm ſunt

Digitized by Google

aliæ quædam literæ Alphabeti Græci, quæ ſine controverſia triangulum imitari figura putantur, nempe Λ & Α. Habet enim utraque litera in ſummo acutum angulum, ad aërem quaſi roſtro findendum, viamque aperiendam, ſatis opportunum. Et has, æquè atque illam, à gruum volatu petitas ſine dubio putabant, & rectè poterant putare, ii qui literas non abs Cadmo allatas, ſed à Palamede inventas faciebant; inter quas eſt Gorgias, antiquiſſimus Rhetor (qui Olympiadē lxxxiv confecit libellum) oratione quæ etiam nunc pro Palamede exſtat, ubi inter cætera ejus inventa literas quoque habemus. Τίς γὰρ ἂν ἐποίησε τὸν ἀνθρώπινον βίον πόριμον ἐξ ἀπόρου, καὶ κεκοσμημένον ἐξ ἀκόσμου, τάξεις τε πολεμικὰς εὑρὼν, μέγιστον εἰς πλεονεκτήματα, νόμους τε γραπτοὺς, φύλακάς τε τοῦ δικαίου, ΓΡΑ'ΜΜΑΤΑ' ΤΕ ΜΝΗΜΗΣ "ΟΡΓΑΝΟΝ, μέτρα τε καὶ σταθμὰ συναλλαγῶν εὐπόρους διαλλαγὰς, ἀριθμόν τε χρημάτων φύλακα, πυρσούς τε, κρατίστους καὶ ταχίστους ἀγγέλους, πεττούς τε σχολῆς ἄλυπον διατριβήν; *Quis enim, è difficili & moleſta libera & facilis, ex horrida atque incomta ornata ut eſſet vita hominum, feciſſet, inventis ordinibus in re militari; quod maximum eſt ad adipiſcendam victoriam, & ſcriptis legibus cuſtodibuſque juris, & LITERIS Inſtrumento Memoriæ* [*quæ ſubſidio oblivioni eſſe poſſent*, Cicero pro Sull.] *& menſuris ponderibuſque quæ faciles commercii commutationes efficiunt, & numero bonorum ſervatore, & ignibus è ſpecula ſublatis, certiſſimis & celerrimis nuntiis, & duodecim ſcrupis, otii conſumendi re ſine moleſtia?* Num cenſes ita locutus fuerit, niſi putâſſet priſcarum literarum omnium inventarum gloriam Palamedis fuiſſe, non modo trium quatuorve? Confirmat etiam Euripides, & multi alii. Vide Voſſium De Art. Gram. lib. i. cap. 10. Quidquid tamen dicunt, literas fuiſſe apud Græcos ante Palamedem & Trojanum bellum, ei rei firmant fidem literæ Cadmeæ, quas Thebis Bœotiæ, in templo Apollinis Iſmenii, Herodotus vidiſſe ait ſeſe in quibuſdam inciſas tripodibus, quod ſuprà demonſtratum eſt, Not. 5. Inſcriptiones ipſas, quibus nihil Græciæ antiquius fuit, apud ipſum vide lib. v. 59. Quando igitur illæ tres dictæ modò trianguli forma literæ, non Palamedis, ſed Cadmi fuerunt, ubi inveniemus aliam, cui eadem ſit forma? è reliquis enim Ariſtotelis priſcis poſt Cadmi ſedecim, trianguli formam Υ peſſimè exprimit, Φ haudquaquam. Quæ ergo eſt ea litera? V, ut opinor, qua nulla meliùs, niſi Δ, trianguli formam,

quam

quam grues efficiunt, exprimit. At hæc, inquies, Alphabeti Latini litera eſt, non Græci. Immo Græci priùs fuit; quod è veteribus aliquot Syracuſanorum nummis apud Parutam, atque in Theſauro Brandenburgico, ſatis certum eſt. Ex iis primus duobus Theſ. Brand. p. 384, ut antiquiſſimis, dabitur locus, qui ſunt ΣVΡΑϘΟΣΙΟΝ inſcripti; ubi non V modo eſt, ſed etiam ϘΠ, hoc eſt Koph pro Kappa, & O pro Ω. Poſt illum, num. 2do ſub titulo Leucaſpi apud Parutam, ubi ineſt circum caput nymphæ ΣΑΡΑΚΟΣΙΟΝ, & ſubter EVMEN, in averſa parte ΛΕVΚΑΣΠΙΣ, quo in nummo duo V literæ, & pro Ω, O, ſunt datæ. Sequentur tres Syracuſani nummi argentei apud Parutam num. 43, 48, 183, qui ſunt inſcripti ΣVΡΑΚΟΣΙΟΝ, ubi V & O pro Ω ſunt. Pòſt deinde alius apud eundem num. 65 ΣVΡΑΚΟΣΙΩΝ, item alius num. 63, ΣV-ΩΝ. Denique unus aureus apud Parutam num. 2, cum literis ſolis ΣVΡΑ. item Theſ. Brand. p. 380. poſtremo apud Parutam num. 5, argenteus cum ſolis ΣVΡ. Quorum nummorum antiquiſſimi non ante Olymp. xi. 4, quo anno Corinthii Syracuſas condiderunt, eſſe potuerunt: poſtremi etiam poſt Simonidem vocalium longarum auctorum cuſi, qui Olympiade lxxiii clarus eſſe dicitur, adeò ut nè tum quidem V prorſus ex uſu receſſiſſet. V ergo litera fuit Græca, eademque quæ poſtea fuit Υ. Hinc V vocalis apud Latinos, ad quos à Græcis devenit, plerumque vim exprimit τȣ͂ Υ. Velius Longus è Verrio Flacco (qui ſub Auguſto Imperatore fuit nobiliſſimus Grammaticus, & nepotibus ejus doctor accitus) in Putſchii Grammaticis p. 2215, *Verrio Flacco videtur, eandem eſſe apud nos* V *literam, quæ apud Græcos* υ. *Namque bis exemplis argumentatur: quod illi dicunt cyminum, nos cuminum: quam κυπάριοσον, nos cupreſſum: illi κυϐερνήτην, nos gubernatorem. Nec non ex ejuſmodi, Theſeus, Menæceus, Peleus & Similibus adfirmat.* V ergo & Υ, ut ut forma differunt, inter ſeſe eadem à principio fuit litera: ea autem literæ forma, quæ ad trianguli formam propiùs accedat, Palamedis fuit; quæ ergo fuit V. Atque hoc, opinor, confirmat Martialis epig. 14. lib. ix. De Earino Domitiani puero, cujus nomen Græcum eſt ἐαρινὸς *vernus* ab ἔαρ *ver*. Ut autem ex ἔαρ contractione factum eſt ἦρ, Æolicè Fῆρ, unde Latinis *Ver*; ita ab ἐαρινὸς ἠρινὸς, Æol. Fηρινὸς, & per Syncopen Fηρνὸς, Latinè *vernus*. V enim, ut ſuprà demonſtravimus §. 8, è Priſciano, *loco conſonantis poſita eandem prorſus in omnibus vim habuit apud Latinos,*

 quam

quam apud Æoles digamma F. Ita ex Æolico Fοῖνος, Latinis erat *vinum*, ex Fεσπέρα *veſpera*, ex Fένερον *venter*, ex ἰξὸς, Fισκὸς *viſcum*, ex Fεςία *Veſta*, ex Fεμῶ *vomo*, ex Fὶς *vis*. Hinc Martialis, quaſi nomen ejus eſſet *Vernus*,

Nomen habes, teneri quod tempora nuncupat anni,
Cum breve Cecropiæ VER *populantur apes.*

Nomen, ———
Quod penna ſcribente grues ad ſidera tollant.

V, *Verni* ſcilicet prima litera, pro toto nomine poſita. Atque hoc maximè differunt inter ſeſe Græcorum & Latinorum V; quòd, cùm Græcorum V ſemper eſſet vocalis, Latinorum modo vocalis ſit, tum autem loco conſonantis poſita. Neque aliquis vitio det, quod in V trianguli ſummus angulus, quo aër à gruibus adverſus pellitur, deorſum verſus eſt. Grues enim, ut vitent frigora, loca calidiora petentes, ab ſeptentrione volant ad meridiem, cujus avium curſus in hac V literæ figura à Palamede, ſumma ratione & ingenio, quaſi imago exprimitur. namque ut Virgilius canit Georg. i. v. 240, &c.

Mundus ut ad Scythiam Ripæaſque arduus arces
Conſurgit, premitur Libyæ devexus in Auſtros.
Hic vertex nobis ſemper ſublimis: at illum
Sub pedibus Styx atra videt, maneſque profundi.

Unde vero, inquies, tanta formæ mutatio, ut hæc litera ex V tandem fieret Υ? De hac re nihil eſt quòd dicam plus, quàm jam dictum eſt in ipſa Literarum Hiſtoria. Tantummodo teſtimonia afferam, quibus conjectura noſtra niti videatur. Iis auditis, veriſimilis ſit, annon, æquus lector judex eſto. Canit ergo Heſiodus Op. & Di. v. 287, &c.

Τὴν μέντοι κακότητα ϗ ἰλαδὸν ἐςὶν ἑλέσθαι
Ῥηϊδίως. ὀλίγη μὲν ὁδός, μάλα δ᾽ ἐγγύθι ναίει.
Τῆς δ᾽ ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι. μακρὸς δὲ ϗ ὄρθιος οἶμος ἐπ᾽ αὐτὴν,
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον. ἐπὴν δ᾽ εἰς ἄκρον ἵκηται,
Ῥηϊδίη δ᾽ ἤπειτα πέλει χαλεπή περ ἐοῦσα.

Hoc eſt, *Vitium quidem, idque magno numero capere poſſis facilè. Via eſt brevis, & in proximo habitat. Atqui ante Virtutem Dii immortales ſudorem*

rem appoſuerunt. Via autem ad ipſam longa & acclivis, & primùm ingredienti aſpera. ſed poſtquam venerit ad ſummum, dein facilis eſt, quanquam gravis fuit. Hanc de duplici via doctrinam, cujus auctor primus Heſiodus, ut vidimus, Pythagoras philoſophus ad Palamedicæ literæ V ramos applicavit; ſed adeo literam immutavit, ut non cognoſcas eandem eſſe, nec trianguli forma in mutata noſci queat. Erat enim dextrum ejus cornu rectum & anguſtum, difficili & arduo adſcenſu. Siniſtrum autem latum mollem ac leniter acclivem aditum habebat; ſed cum ad ultimum pervenitur, angulo inflexo declive ac præceps erat. Atque hæc eſt illa ipſa litera Pythagoræ dicta. Ita enim Virgilius deſcripſit inter minora carmina. Fruſtra tamen quæras in Pitthæi Veterum Epigr. & Scaligeri Catalect. Virgilian.

Litera Pythagoræ, diſcrimine ſecta bicorni,
Humanæ vitæ ſpeciem præferre videtur.
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemque aditum primùm ſpectantibus offert:
Sed requiem præbet feſſis in vertice ſummo.
Molle oſtentat iter via lata, ſed ultima meta
Præcipitat captos, volvitque per ardua ſaxa.
Quiſquis enim duros caſus virtutis amore
Vicerit, ille ſibi laudemque decuſque parabit.
At qui deſidiam, luxumque ſequetur inertem,
Dum fugit oppoſitos incauta mente labores,
Turpis, inopſque ſimul, miſerabile tranſiget ævum.

Sed ſi credimus Lactantio, hæc litera, quam facit eſſe Y, producto ſcapo, ſive, ut Marius Victorinus, virgula juncta, fuit. Ita enim ſcribit lib. vi. cap. 3, quaſi hos ipſos verſus reſpiciens; *Dicunt enim humanæ vitæ curſum Y literæ eſſe ſimilem; quòd unuſquiſque hominum, cùm primum adoleſcentiæ limen attigerit, & in eum locum venerit,*

partes ubi ſe via findit in ambas;

hæreat nutabundus, ac neſciat in quam ſe partem potiùs inclinet. Si ducem nactus fuerit, qui dirigat ad meliora titubantem; hoc eſt, ſi aut philoſophiam didicerit, aut eloquentiam, aut aliquid honeſtæ artis, quo evadat ad bonam frugem; quod fieri ſine labore maximo non poteſt; honeſtam, ac copioſam vitam,

Digitized by Google

vitam, diſputant, peracturum. Si verò doctorem frugalitatis non invenerit, in ſiniſtram viam, quæ melioris ſpeciem mentiatur, incedere; id eſt, deſidiæ, inertiæ, luxuriæ ſe tradere: quæ ſuavia quidem videntur ad tempus, vera bona ignoranti; pòſt autem amiſſa omni dignitate, ac re familiari, in omnibus miſeriis, ignominiaque victurum. Quando igitur è diſciplina Pythagorica in litera, cui humanæ vitæ curſus eſt ſimilis, homo, cum primùm adoleſcentiæ limen attigerit, in eum locum veniſſe dicitur, *partes ubi ſe via findit in ambas*; partes autem ambæ ex eo loco ſunt eorum qui ætate antecedunt; neceſſe eſt in litera ut ſcapus, ſive virgula ſit adjuncta, ſicut in Y videmus; quum aliter non erit, ubi pueritiæ curſus inſtituatur, antequam ad duplicis viæ initium perveniatur; quem ſcapum, ſi non Pythagoras, aliquis de Pythagoreis certè adjunxit. Atque hujus literæ mutationem, à Pythagoreis factam, cuncta Græcia in hac re poſtea ſecuta eſt, ſuperiori Palamedicæ V addito ad extremum Pythagoricæ literæ ſcapo; adeò ut Y ex V facta ſit litera; non tamen antequàm plus ſexcentos annos apud Græcos V Palamedicæ fuiſſet uſus. Inter enim vel Trojam captam & Pythagoram natum anni ſexcenti & tres intererant. Quamdiu hujus literæ forma Y uſi fuerint Græci, quî ſcire poſſis, cum de eo ſilent ſcriptores? hoc certum eſt, quod hujus formæ uſum non dimiſerant Græci, quum ab ipſis acceptam primùm adhibebant Latini. Non enim credendum eſt, Latinos, cùm Græcam literam propter Græca nomina adhibebant, non hanc eadem adhibuiſſe forma, quæ tum erat in uſu communi apud Græcos. Græcas autem duas vocabant literas Latini, Y & Z; non quod non & cæteras omnes à Græcis accepiſſent à principio, ſed quod nihil iſtis opus eſſet duabus ad nomina Latina, ſed ad Græca ſolum pronuntianda & ſcribenda. Diomedes Grammaticus apud Putſchium p. 415. *Prima differentia in literis qualitates habet duas, quod aut Latinæ ſunt literæ, aut Græcæ. Latinæ ſunt una & viginti. Græcæ duæ,* Y, Z: *quæ in uſum noſtrum propter nomina Græca venerunt.* Non verò his Græcis literis veteres utebantur Latini, ſed pro Y litera V ponebant. Cicero in Orat. c. 48. *Burrum ſemper Ennius* [dicebat] *nunquam Pyrrhum: Vi patefecerunt Bruges, non Phryges, ipſius antiqui declarant libri. Neque enim Græcam literam adhibebant* [majores]: *nunc autem etiam duas.* Ita Gruterus edidit, Petr. Victorium ſecutus: Manutius

&

Digitized by Google

& alii *Purrum* & *Fruges.* Quocunque modo legas, V; non Y, adhibebat Ennius. Hoc ergo tempore Græcam literam Y nondum adhibuerant Latini: nec credibile eſt eam adhibuiſſe priuſquam Græcæ literæ eſſe in honore cæpiſſent. quod tempus Cicero videtur deſignâſſe Academic. lib. ii. c. 2. ubi ſcribit, *Ego autem, cum Græcas literas M. Catonem in ſenectute didiciſſe acceperim; P. autem Africani, hiſtoriæ loquantur, in legatione illa nobili, quam ante cenſuram obiit, Panætium unum omnino comitem fuiſſe; nec literarum Græcarum, nec philoſophiæ jam ullum auctorem requiro.* Aliàs pro uno duos ſecum habuit comites P. Africanus, non philoſophiæ unius modò, ſed etiam omnis doctrinæ & liberalium ſtudiorum auctor & admirator. Velleius Paterculus lib. i. cap. 13. *Quippe Scipio tam elegans liberalium ſtudiorum omniſque doctrinæ & auctor & admirator fuit, ut Polybium Panætiumque, præcellentes ingenio viros, domi militiæque ſecum habuerit.* Quod ſi M. Cato literarum Græcarum, P. Africanus philoſophiæ fuerunt auctores Ciceroni ipſi, quî minùs aliis, etiam priùs, ita fuiſſe credamus? M. autem Cato obiit anno ab Urbe condita Varroniano DCV, P. Africanus cenſor fuit DCXII. Anno autem DCVIII, Corintho funditus eruta, Achaiam ſubegit Mummius Achaicus, quo pacto omnis Græcia, ubi rerum potiti fuerant Achæi, in ditionem Romanorum conceſſit; adeò ut ſumma accipiendi occaſio eſſet Romanis tunc literam Græcam Y, quæ manſerat uſque adhuc; annos haud multo minus quadringentos fortaſſe. Ab anno enim quo Pythagoras deceſſit, ad annum quo in lectulo mortuus P. Africanus reperiebatur, anni erant CCCLXXVI. Poſt hoc (ſed quo tempore incertus ſum) ſucceſſit tertia hujus literæ forma ϒ, utroque cornu inflexo; quum Pythagorei unum omino, ſiniſtrum ſcilicet, ut oſtendimus, inflexiſſent: adeò ut nulla Alphabeti Græci litera plures formæ mutationes habuerit.

C A P. XVIII.

Reſtat ultima Ariſtotelis priſcarum Φ, de qua Auſonius in Edyllio xii, ut editur,

Hæc gruis effigies Palamedica porrigitur Φ.

Ego malim, *Hac gruis effigie.* In quo verſu *Palamedica* Φ eſt teſtimonio inveniſſe Palamedem. *Gruis effigie porrigitur* dicunt, eam eſſe non abſimili forma gruis uno pede inſiſtentis, ſcilicet, & dum noctu ad agmen excubat,

bat, ſe porrigentis; ut media litera ejus corpus ſit, ab ſuperiore parte collum tenue & procerum, ab inferiore unus pes. De gruibus Plutarchus de Solert. Anim. p. 967. ὅταν δὲ κατάρωσιν ἐπὶ γῆν, αἱ προφυλακὴν ἔχουσαι νύκτος ἐπὶ θατέρου σκέλους ἐχῦνται τὸ σῶμα. *Atque ubi in terram deſcenderint, eæ, quæ noctu excubant, uno crure modo corpus ſuſtinent.* Ariſtoteles de gruibus, ſed dormientibus, ἐπὶ ἑνὸς ποδὸς, *in pede uno*, Hiſt. Animalium, x. 9. Plutarchum confirmat Ælianus H. A. iii. 13. id enim eſt, ἑςᾶσι μὲν ἀσκωλιάζουσαι, *ſtant in pede uno ſaltantes.* Vide Pollucem lib. ix. c. 7. §. 121. Confirmat etiam Tzetzes Chiliad. iv. c. 120. At quid opus fuit, inquies, litera Φ inventa, cùm in Alphabeto Pelaſgico fuit F, quæ ejuſdem planè poteſtatis ſit, ac Φ, ſicut è Græcis cognoſcimus, qui in Latinis nominibus F in Φ convertunt? hoc, quo meliùs intelligatur, paullo diſtinctiùs repetendum eſt. Vau literam, cujus in Alphabeto Hebraico, & Samaritano, atque adeò Phœnicio, poteſtas erat V, in digamma F quidem, quæ ejus locum obtinebat in Alphabeto Pelaſgico, eundem retuliſſe ſonum, ac poſtea habuit F ad Latinos tranſlata, è nummo FAΛEIΩN ſuprà demonſtravimus Not. 8. Æoles vero, ut ibidem oſtendimus, huic literæ F, quanquam à Pelaſgis acceperunt, ſuam iterum poteſtatem V reddiderunt. Miniméque adeò mirum eſt, cùm non ita magnum ſoni diſcrimen inter V & F videatur eſſe. In noſtro certè Dumnonio vulgus in ſermone effert V pro F; pro *fall* dicens *vall*, pro *father*, *vather*, pro *figs*, *vigs*, atque hujuſmodi multa. Troicis vero temporibus erat multo majus diſcrimen, quia Æoles, ut dicit Voſſius c. 28, ſuum digamma F, pro V, efferebant, ſicut Angli W. Quamobrem non cæteri modo Græci omnes, qui digamma non habebant, ſed etiam Æoles ipſi, qui ſoli habebant, ſono hac, quo tum pronuntiarunt, relicta, novam Palamedis literam Φ receptam ſibi adſciverunt. De Φ tanquam altera eadem litera, atque F in Alphabeto Pelaſgico, melior erit dicendi locus, ubi de Latinorum literis agetur, apud quos F eam ſemper vim & poteſtatem habuit, quique ea cauſa Φ rejecerunt, quàm hìc, ubi de Græcorum literis agitur, apud quos ea F literæ poteſtas fuit ſublata.

CAP.

CAP. XIX.

Plinii verba, magna ex parte jam citata, lib. vii. cap. 56, ſunt, *Quibus* [Cadmi literis] *Trojano bello Palamedem adjeciſſe quatuor hac figura* Θ Ξ Φ Χ. —— *& duas ab Epicharmo additas* Θ Χ, *quàm à Palamede mavult* [Ariſtoteles]. Θ ergo & Χ Epicharmi ſuiſſe inventum vult Ariſtoteles, Palamedis Plinius. De nummis ΑΘΕ & ΘΕ, quibus, tanquam fundamento, innixum eſt omne hoc, quod pro Plinio adverſum Ariſtotelem, ſeu potiùs pro Palamede adverſum Epicharmum dictum eſt, hæc habet Spanhemius De Uſu & Præſtantia Numiſm. p. 89. "Illud "vero in pluribus vetuſtis Athenienſium nummis, qualeſque haud pau-"cos videre & verſare nobis contigit, eſt obvium, ut ΑΘΕ pro ΑΘΗ, "ſeu 'ΑΘΗΝΑΙΩΝ inſcripti legantur iidem; idque pro vetere, ac diu "retento ab iis more, ut id eſt à Platone in Cratylo monitum, ὀ γὰρ "ἦ ἐχρώμεθα, ἀλλὰ ἒ τὸ παλαιόν." Quales quinque ſpectandos dedit nobis idem vir illuſtriſſimus Notis in Ariſtophanis Ranas p. 289. (1) Drachmam Atticam, (2) Triobolon, (3) Obolum cum Semiobolo, (4) Obolum, (5) Hemiobolium. "In Thebanorum vero nummis [addit vir illuſtris] "ſicut ii quandoque duabus literis ΘΕ deſignati, ita ΘΕΒΗ "ſubinde etiam ſunt inſcripti." Ex quibus illos adprimè arbitror eſſe antiquos, hos non ita ſane veteres, ſed poſt receptas Simonidis longas vocales cuſos, priùs tamen quàm auſi eſſent inſcriptionem nummorum veterem mutare. Euſebium ſecutus (cujus verba ſunt ad Ol. lxxiii. 3. *Pindarus & Simonides Lyrici poëtæ inſignes habentur)* Simonidem ad eam Olympiadem poſui. Sed (ut docuit Bentleius in Phalaridis Epiſt. Diſſert. p. 30, &c.) Simonides ipſe in epigrammate (apud Hermogenis Scholiaſt. p. 410.) de victoria ſua, cum doceret chorum Athenis Archonte Adimanto, (quam ejus victoriam commemoravit Chronicon marmoreum Arundellianum) dicit, ſe tum annos octoginta natum fuiſſe; Adimantus autem Archon fuit Olymp. lxxv. 3. & confirmat marmor ipſum, lin. 73. ΣΙΜΩΝΙΔΗΣΟΠΟΙΗΤΗΣΕΤΕΛΕΥΤΗΣΕΝΒΙΟΥΣΕΤΗ𐅄ΔΔΔ ——ΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΘΕΑ . . . . ΝΙΔΟΥ (Theagenides autem Archon fuit Olymp. lxxvii. 4.) ſi modo intelligas cum Bentleio de anno nonageſimo non perfecto & abſoluto. qui ergo Ol. lxxv. 3. annos octoginta natus fuit, Olympiade lxxiii ineunte annos natus fuerat ſeptuaginta. quare dicendum erat potiùs, Simonidem fuiſſe clarum Olymp. lxvi, quæ erat media ætas viri. quod autem Euſebius habet ad Olymp.

lx. 4, *Simonides Lyricus & Phocylides clari habentur*, eo anno Simonides fuit annos natus duos & viginti; ut vix tum clarus haberetur, ſed clarus eſſe cœperit. & quod Euſebius ad Olymp. lv. 2, habet *Simonides clarus habetur*; hoc ipſo anno Simonides fuit natus. & quod Euſebius habet at Olymp. xxix. 2, *Archilochus, & Simonides, & Ariſtoxenus inſignes habentur*, hic fuit centeſimus & quartus annus ante noſtrum Simonidem natum. Nè hujus quidem noſtri Simonidis avus Simonides, qui & ipſe poëta erat, eſſe potuit. Is enim obiit mortem Archonte Ariſtide Olymp. lxxii. 4, ſecundum Arundellianum marmor, lin. 64. ad quod tempus ab Olymp. xxix. 2, anni ſunt centum ſeptuaginta tres. Epicharmus vero Hieronis, qui Syracuſis regnum obtinuit, ſecundum Chronicon Arundellianum æqualis fuit. Regnum autem occupavit Hiero Archonte Athenis Charete. Marmor lin. 71. ΙΕΡΩΝΣΤΥΡΑΚΟΥΣΩΝ ΕΤΥΡΑΝΝΕΥΣΕΝ——ΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΧ . . Η . . ΟΣΗΝ ΔΕΚΑΙΕΠΙΧΑΡΜΟΣΟΠΟΙΗΤΗΣΚΑΤΑΤΟΥΤΟΝ. Chares autem Archon fuit Olymp. lxxvii. 1. hoc eſt, triennio ante, quàm Simonides anno ætatis ſuæ nonageſimo mortem obiit; adeò ut Simonidi exacta ætas Epicharmo eſſet ætas iniens. Et credibile eſt, aliquos Græciæ populos, quum Simonidis vocales longas non acceperunt, Epicharmi literas accepiſſe? præſertim Athenienſes, qui diu, etiam poſt novas repertas, literis, niſi veteribus, non fuerunt uſi, ut ante dictum eſt Not. 10. quare Plinii potiùs ſententiam probo & ſequor, Cadmi literis Palamedem Θ literam æquè, ac Φ, adjeciſſe. Et Herodes Atticus in Farneſiana columna viæ Appiæ confirmat, ubi obſerves inter cæteras quidem Atticas literas ⊗ inſcriptam; ſicut fere in principio ⊗ΕΜΙΤΟΝ, atque ad finem ΑΝΑ⊗ΕΜΑ & +⊗ΟΝΙΟΝ ⊗ΕΟΝ, Simonidis longis vocalibus Η & Ω non admiſſis. Neque aliter eſt in illa inſcriptionis hujus exemplo, quod Scaliger nobis dedit, p. 110 Animadverſionum in Euſebii Chronicon. Ut illum excellentem virum Spanhemium mirer, in libro tam accuratè ſcripto, p. 91, dixiſſe, " Nec dum receptis apud Athenienſes " —— literis Η pro ἦτα & Θ, ſcripſiſſe eoſdem Atticos, quod —— in " Farneſiana columna viæ Appiæ —— eſt à Scaligero primùm obſerva- " tum —— ΤΗΕΟΣ pro ΘΕΟΣ." Nec plus dicit Scaliger, quàm Maximus Victorinus, à me adlatus ad finem Not. 10, dicebat priùs. Ejus hæc ſunt verba p. 121. " Antequam Θ, Φ, Χ, ſive à Simonide " ſive ab alio introductæ eſſent, poſt Τ, Π, Κ, apponebant aſpiratam Η,

" H, & ſcribebant ΤΗΕΟΣ, ΠΗΙΛΟΣ, ΚΗΡΟΝΟΣ, *θεὸς, φίλος, χρό-*
" *νος.*" Id ergo quod à me dictum eſt; nempe ante receptas Simonidis vocales longas, aſpiratis literis uſos fuiſſe Athenienſes, non Φ modo, ut vult Ariſtoteles, ſed etiam Θ veterum nummorum auctoritate, ⊗ & ✢ Herodis Attici judicio comprobatum videmus; ideoque non alicujus poſt Simonidem, ſed alicujus ante Simonidem, hoc eſt, Palamedis, non Epicharmi inventum fuiſſe; immo etiam Herodis Attici judicio, quod veteres Athenienſium nummi confirmant, inter Atticas literas fuiſſe; adeò ut *Atticæ literæ*, quidquid dicunt ſummi viri Salmaſius ad Inſcr. Herod. pag. 31, & Spanhemius pag. 91, non ſedecim Cadmi literæ modo, ſed etiam eæ, quas Palamedes addidit, fuerint, eædemque, quas Ariſtoteles apud Plinium *priſcas* vocavit, Harpocration *γράμματα παλαιά*. Æliani locus, quem ego protuli, ut figuras in his Palamedis literis oſtenderem, quas grues agmine volantes efficiunt,; quemque ex Æliano habet Apoſtolius Proverb. 8. Centur. vi, apud utrumque his verbis finitur *ὁ δὲ ἀναχωρεῖ, καὶ κρούεται τὸ πτερόν.* & verbum de verbo expreſſiùs effertur. *Sed quum aquilam aſpexerint grues advolantem, hæ orbe facto, & in ſinus inflexo, non abſimili forma lunæ in medio curvatos, minantur, ut quæ acie inſtructa illi adverſæ conſtiterint. Illa vero recedit, atque inbibet alas.* *κρούεσθαι* enim verbum nauticum eſt, ficut *πρύμναν κρούεσθαι* apud Thucydidem Scholia eſſe dicunt *ἐπὶ τὴν πρύμναν κωπηλατεῖν.* Ita apud Latinos *remos inbibere* Ciceroni eſt remigatio navis ad puppim. Neque alia res Æliani *κρούεται τὸ πτερόν*; quàm *ita recedit, ut non tergum vertat*, quod non viderunt Æliani interpretes. Et quod noſtram interpretationem verborum *κολπωσάμεναι, μηνοειδὲς τὸ μέσον ἀποφῆναι*, de X literæ forma ab illis effecta confirmat; inter Atticas literas priſcas in columna Farneſiana viæ Appiæ ⊗ in medio habet incluſa, quaſi primula occipientis X lineamenta. Atque hæ erant Palamedis literæ à gruibus ortæ. Neque enim grues eſſe ita deditas uni figuræ credendum eſt, ut earum agmine volantium ſit ſemper eadem, nunquam diſſimilis, cùm opus ſit, figura. Hyginus Fab. 277. *Alii dicunt Mercurium* [inveniſſe literas], *ex gruum volatu: quæ cùm volant, literas exprimunt:* non unam literàm. Nec temerè canit Lucanus lib. v. 711, &c.

Strymona ſic gelidum, bruma pellente, relinquunt

 Peturæ

Poturæ te, Nile, grues, primoque volatu
Effingunt varias, caſu monſtrante, figuras.
Mox ubi percuſſit tenſas Notus altior alas;
Confuſos temere immixtæ glomerantur in orbes,
Et turbata perit diſperſis litera pennis.

Ubi docet, à principio volatûs effingere grues varias figuras, ita ut caſus admonet. Ut ergo caſus varii ſunt, variæ ſunt figuræ. Unus eſt caſus, qui hic memoratur, ſi præter ſpem eveniat auſtri magnitudo, qui loca calidiora petentibus eſt adverſiſſimus ventus; tum conſueta trianguli forma V periit, & orbes fiunt Θ literæ figura. Si *præter ſpem* eveniat dico, quia, ut dicit Ariſtoteles Hiſt. Animal. ix. 10, ἐὰν ἴδωσι νέφη ϗ χειμέρια, καταπτᾶσαι ἡσυχάζουσιν. *Si coactas in cælo nubes tempeſtateſque conſequentes videant, devolantes non ſe ex eo loco movent.* Alter caſus eſt, ſi eveniat, ut ſe urgeri ab hoſte (aquila) videant, quum primùm in orbem conſiſtunt ⊗ literæ figura; pòſt deinde eo orbe in ſinus, falcatæ lunæ quandam reddentes imaginem, inflexo, effingunt X literæ figuram, quæ ſuprà demonſtravimus. Aliàs (niſi ſi auſter increbuit, aut aquilam vident) dum agmine volant, trianguli formam ſervant. De poteſtate autem Palamedicæ X eadem ac Latinorum X, hæc inter alia ſunt Spanhemii, à me honoris cauſa appellati, verba p. 96 De Præſtant. & Uſu Numiſm. " Adde quod vel ex adductis duobus illis inſignibus nummis, " AXYP & NAXI, præterea conſtat, illud Latinorum X, haud minùs " ac reliquas eorum literas, ab antiqua quoque Græcorum litera, quæ " eundem ſonum tum habuerit, profluxiſſe. Hoc ergo Plinius erravit, quod pro una litera, quæ formam X, poteſtatem autem Ξ literæ poſtea repertæ haberet, duas Palamedi appoſuit Ξ & X. Quare oportuit, aut ſolas tres adnumeráſſe, Θ, Φ, X, aut, ſi quatuor voluit, duas Ariſtotelis priſcarum ultimas, ut eſſent Θ, Υ, Φ, & X.

C A P. XX.

Ciceronis verba in Oratore c. 48, ſunt, *Quin ego ipſe, cùm ſcirem ita majores locutos eſſe, ut nuſquam, niſi in vocali, adſpiratione uterentur, loquebar ſic ut* pulcros, Cetegos, triumpos, Kartaginem *dicerem.* Ciceronem confirmat Columna Roſtrata, in qua legimus CARTACIENSIS & CARTACINI ſine adſpiratione. quamobrem nihil iſtis opus erat conſonantibus aſpiratis,

tis, iis qui nuſquam, niſi in vocali, adſpiratione uterentur; præſertim Φ litera iis, qui haberent F ejuſdem fere poteſtatis literam. Priſcianus de numero Literarum lib. i. p. 542. Putſchii Grammat. F *Æolicum digamma, quod apud antiquiſſimis Latinorum eandem vim, quam apud Æoles habuit* Φ. nec diverſam à PH, quas literas ob nomina à Græcis accepta poſtea adhibebant Latini, ſicut Græci antiquitus ΠΗ pro Φ, & tenues cæteras cum H pro aſpiratis, quæ adhuc Græcis erant incognitæ, quod ſuprà demonſtravimus Not. 10. pergit enim Priſcianus *eum autem propè ſonum, quem nunc habet* F, *ſignificabat* $\overline{\mathrm{p}}$ *cum aſpiratione: ſicut etiam apud veteres Græcos pro* φ, π *&* $\overline{\mathrm{h}}$: *unde nunc quoque in Græcis nominibus antiquam ſcripturam ſervamus pro* φ, $\overline{\mathrm{p}}$ *&* $\overline{\mathrm{h}}$ *ponentes, ut Orpheus, Phaëton.* Etſi autem PH ſcripſerunt Latini, pronuntiarunt ita uti ſi eſſet F, ſi Voſſio credimus, qui de Arte Grammat. lib. i. c. 24. dicit, "Quemadmodum "ex voce Philoſophia cognoſcimus, quam, quaſi Filoſophia ſcriptum eſſet, "pronunciamus." Alium vero in ſua Φ litera fuiſſe Græcis ſonum, atque in F Latinis, idem Voſſius c. 26, ex Cicerone & Fabio hoc confirmat, quod ridiculo fuit Græculus qui pro Fundanio nomine Latino Phundanium dicebat (quanquam iſtuc neque in hoc neque in illo invenio, quæſivi enim). "Nam F, quod Græci ignorabant, molliùs ſonabat, quàm Φ, teſte "Priſciano." Idem Voſſius c. 24. Quod autem dictum eſt de Φ litera in Græcis nominibus ab Latinis per PH ſcripta, intelligendum eſt ab illis factum, poſtquam Græcæ literæ eſſe in honore cæpiſſent. Priùs enim in nominibus, quæ à Græcis ſumſiſſent ſibi, Φ per F ſcribebant, quod maximum argumentum eſt, eas ejuſdem planè fuiſſe poteſtatis. Priſcianus ut ſuprà, Φ *cujus locum apud nos* f *obtinet, quod oſtenditur in his maximè dictionibus, quas à Græcis ſumſimus; hoc eſt ſama, ſuga, ſur, à* φήμη, φυγὴ, φὼρ. De V conſonante etiam facta ab Latinis, quæ ſemper vocalis fuit apud Græcos, unde habebant Latini, ſatis dictum eſt, ubi non de vocali V modo, ſed etiam de conſonantibus F & Φ, quæ eundem fere ſonum referre videantur, agitur, præſertim de F, ubi habes teſtimonium luculentum Priſciani. Tantummodo addam ea quæ dicit Voſſius lib. i. de Art. Gram. c. 24. "Olim V efferebant, ut Germani duplex W. "Nempe pronunciabant, *Winum, Wallum, Widua,* &c. unde noſtrum. "*Wine, Wall, Widow.*—& c. 26. "Quippe ex noſtra ſententia V con- "ſonum, ſive Vau ſonuit, ut in *Wire, Wind:* nec aliter extulere Latini, "*Vinum, Ventus,* quàm *Winum, Wentus.*—& c. 28. "At Vau, ut ſemel "iterumque.

Digitized by Google

" iterumque diximus, ſonuit, ut duplex W. Neque hàc parte tantùm " erratur in pronunciandis Latinis & Æolicis, ſed etiam Hebræis : apud " quos ſextum elementum tanquam Wau debet pronunciari." Ita quidem rem fuiſſe apud recentiores Æoles, ſatis credo. De Æolibus vero antiquis & Phœnicibus nihil quidquam credo. Quî enim potuit fieri, ut Pelaſgi Phœnicium W in F, Æoles Pelaſgicum F in W rurſum, tam diſcrepantis ſoni literas, converterent? Quod ſi Phœnicium Vau ſonuiſſe, ut noſtrum V, animum inducamus, quæ eſt noſtra ſententia, nihil erat facilius, quia (ut Voſſius ipſe c. 26. fatetur) eodem pæne modo F & V ſonant.

C A P. XXI.

Quæ fuerit Simonidis ætas, accuratiùs explanatur Not. 19. De inventis ab Simonide literis Plinius dicit, lib. vii. c, 56. *Totidem poſt eum* [Palamedem], *Simonidem melicum* [adjeciſſe] Z, H, Ψ, Ω. *Quarum omnium vis in noſtris recognoſcitur.* De inventis ab illo vocalibus longis H & Ω quæ Velius Longus dixit in Putſchii Grammat. p. 2214, plenè ſunt *Poſtea, ut quidam putant, Simonides invenit duas vocales quas dixit φύσει μακρὰς, η & ω, ut eſſent ἀντίστοιχα τῶ ε ϗ τὸ ο; ut quo modo hæ literæ longæ dicerentur η & ω, ita & illæ breves natura.* At non nunc *id quidam putant*, ſed omnes docti quidem ad unum idem ſentiunt. De ⊢ pro aſpiratione, ſicut ⊣ pro ſpiritu tenui, poſt H vocalem longam ex aſpiratione factam, ſcripto, ſic ait Priſcianus lib. i. pæne extremo capite de numero literarum p. 560 Putſchii Grammat. H *literam non eſſe oſtendimus, ſed notam aſpirationis, quam Græcorum antiquiſſimi, ſimiliter ut Latini, in verſu ſcribebant. Nunc autem diviſerunt, & dexteram ejus partem ſuprà literam ponentes pſilen notam habent, quam Remnius Palæmon exilem vocat: Grillius vero ad Virgilium de accentibus ſcribens lenem nominat. Siniſtram autem contrariæ illi aſpirationis daſian, quam Grillius flatilem vocat.* Et Iſidorus Origin iib. i. c. 18. de figura Accentuum; *Quorum duorum accentuum figuram Latini ex ipſa litera aſpirationis fecerunt. Unde ſi jungas has, facis eandem aſpirationis notam* H. *Rurſum ſi medium ejus apicem ſcindis, δασεῖαν* ⊢, *&* ψιλὴν ⊣ *facis.* Hic tamen erravit, dum, quod fecerunt Græci, in Latinos tranſtulit. Quando autem factum fuit, niſi nunc, cùm ex H fecerunt E longam? tunc enim aliqua opus erat nota, quæ, ademta H, aſpirationi ante vocales ſerviret. Qui ergo ademit H, notam, quæ ejus officium præſtaret, dedit. Atque ita erat res, judice Salmaſio

in

in Herodis Attici inſcriptionem p. 52. " Tunc enim ex H, quæ aſpi-
" rationi tantum ſerviebat, E longum fecerunt, ipſamque H in duas
" partes ſciderunt, ⊢ & ⊣, ut ex ejus partibus totam aſpirandi rationem
" conficerent. adpoſita enim hac nota ⊢ vocalibus eundem uſum præſta-
" bat, quem olim integra H." Et paullo infra, " Tantum igitur abeſt,
" ut H conflata fuerit ex duabus illis aſpirandi notis ⊢ & ⊣, ut contra
" eæ notæ ex dividuo H factæ ſint ab Ionibus, ut aſpirationi ſervirent,
" poſtquam integrum H in numerum vocalium receperunt, & pro E
" longo uſurparunt. Poſteriores ergo iſtæ notæ ſunt, & ab Ionibus
" inventæ." Quum autem harum notarum figura haud multùm diſſimi-
lis eſſet Æolici digamma F, quippe uno apice tranſverſo differebant inter
ſeſe; nihil ampliùs. Duas enim digamma lineolas tranſverſas habuit; unam
daſea; (atque adeò ſimiles erant pſile & digamma deorſum verſus inver-
ſum, ut aliquando figura hac Ⅎ ſcripſerunt) hinc, ut ſæpe errorem creat
ſimilitudo, factum eſt ut frequenter hæ aſpirationis notæ in digamma
commutarentur. Hoc, credo, accidit in duabus ex quatuor exemplis,
quæ Dionyſius Halicarnaſſ. attulit, qui oſtenderet, digamma F veteres
Græcos ſolere ante nomina, quibus vocales erant principia, apponere,
(vide ejus verba Not. 8.) primo ſcilicet, & quarto. Si enim legitur cum
digamma, ſcribendum erat Fέλενα & Fάνερ; cum veteres Græci non
noverunt ἧ, nè Iones quidem, ante Simonidem; ut ſemel atque iterum ex
Platone cognoſtis. quum primùm vero ἧ pro ἐ longa fuerunt uſi, ⊢ε-
λένη, & ⊣ανὴρ ſcripſerunt. Accidit etiam, ut opinor, in hoc verſu (quem
ex Aſtyage Grammatico habet Priſcianus, ut digamma F oſtenderet pro
conſonante ſimplici ſolere accipi, p. 546. Putſchii Gram.)

'Οιόμενος Fελέναν ἐλικώπιδα,

quæ propter Fελέναν alicujus eſſe Dorici poëtæ puto, ſed poſt Simoni-
dem, ut ex altera vocali longa ῶ facile potes cernere. quamobrem
ego potiùs credo ſcribendum eſſe

⊣οιόμενος ⊢ελέναν ⊢ελικώπιδα.

neque opus eſt conſonante ante ⊢ελέναν, cum ultima ſyllaba in ⊣οιόμενος
longa ſit cæſura. Et quod ibidem ſcribit Priſcianus, *Æoles idem F inve-
niuntur pro duplici conſonante digamma potuiſſe* [quaſi quia eſt duplex Gamma,

3 duplex

duplex conſonans eſſe poſſit] *ut* Νέϛορα δὲ Fῦ παιδός; quid obſtat, cur non ſcribi poſſit cum aſpirationis nota

Νέϛορα δὲ Ⱶῦ παιδός?

æque atque apud Homerum Iliad. Ω. 851.

Κλαῖε μόϛον ὗ παιδὸς ἀμύμονος, ὅς οἱ ἔμελλε
φθίσεσθ' ——

cujus ætate ſcribebatur μόρον Hῦ—Hὸς Hοι.—Et quod habet Priſcianus ibidem F *digamma Æolis eſt, quando in metris pro nihilo accipiebant, ut*

Ἄμμες δ' Fειρήσαντο, τόδ' ἂρ θεῖτο μῶσα λιγεῖα.

Id dictum eſſet magis verè de duabus aſpirationis notis: atque adeò in hoc verſu (quanquam Æolici eſt poëtæ, ut oſtendunt ἄμμες & ἂρ cum μῶσα, ſed poſt Simonidem, quod apparet ex utraque vocali longa) δ' Ⱶειρήσαντο ſcribendum mihi videtur eſſe. neutiquam enim τῦ Αττικῦ H τὸ Αἰολικὸν F functum officio, ut pro nihilo in metris duceretur, puto; ſed ſemper fuiſſe conſonantem, cui poteſtas primùm fuit noſtra V, pòſt deinde W; quidquid dicit Priſcianus, & poſt eum viri doctiſſimi Salmaſius & Voſſius. quanquam Æoles (qui ſemper ſpiritum aſperum rejiciebant) ſuum digamma F ſolere ante quævis nomina, quibus vocales erant principia, nullo diſcrimine apponere, non nego; ſed tamen pro conſonante. Ita Pelaſgi, unde cum literis cæteris fuit digamma Æolibus, æquè atque Æoles, ponebant ſuum digamma F ante vocales tum lenes, tum aſperas. Hinc pro Ἀλεῖοις, aut, ut tum cæteris Græcis, præterquam Æolibus, mos erat ſcribendi, Hαλεῖοις, ſibi ipſi fuerunt Fαλεῖοι, de quibus ſuprà demonſtratum eſt Not. 8. Faliſcos autem vocabant Latini, qui etiam literas ab iis acceperunt; unde ſcimus illam F fuiſſe conſonantem, & indicio eſt illud Virgilii Æn. vii. 695.

Hi Feſcenninas acies, æquoſque Faliſcos.

Neque aliter evenit, ut novi Latii urbs inter Minturnas & Fundos, prius dicta Hormiæ, pòſt diceretur Formiæ, ut traditum eſt ab Strabone lib. v. p. 233, Ἑξῆς δὲ Φορμίαι Λακωνικὸν κτίσμα ἐϛὶν, Ορμιαι λεγόμενον πρότερον διὰ τὸ εὔορμον. quandam enim partem, haud quidem minimam & Formiis finitimam, Pelaſgi obtinebant etiam de campis, qui olim dicti ſunt Campani, ad paſtum pecoris aptiſſimis & jucundiſſimis

cundiſſimis ad aſpectum, quum ex eorum parte quandam barbaram gentem Auruncos expuliſſent. Dionyſius Halicarnaſſ. de Pelaſgis lib. i. c. 22. κατέχον δέ τινα καὶ οὗτοι τῶν καλουμένων Καμπανῶν, εὐβότων πάνυ καὶ τὴν ὄψιν ἡδίστων, πεδίων οὐκ ἐλαχίστην μοῖραν, ἔθνος τὶ βαρβαρικὸν Αὐρούγκους ἐκ μέρους ἀναστήσαντες αὐτῶν. Auruncos autem, antiquiſſimum populum Italiæ, ut è Virgilio Æn. vii. 206. colligere poteris, regiones, quæ utraque parte ripas Liris fluminis contingant, incoluiſſe, certa res eſt. Quum vero Pelaſgi, & qui Pelaſgos ſequebantur, pro Ὀρμίαις Formias dicebant, F ut conſonantem adhibebant, quod teſtimonio poëtarum cognoſcimus. Exempli ſatis eſt ille Catulli verſiculus Epig. xli. 4.

Decoctoris amica Formiani.

ubi F eſt conſonans, aut periit hendecaſyllabum. Nec dubito, quin, ut Pelaſgi, ita Æoles ſuo digamma F ad eundem iſtunc uſi eſſent modum, ſemper pro conſonante ante nomina, quibus vocales erant principia; & quum aliter evenit, error ſit aſpirationis notæ in digamma commutatæ. Neque ante nomina, quibus vocales erant principia, modo literæ aſpirationis H nota aſpirationis ⊦ locum obtinebat poſt vocales longas inventas, ſed etiam, niſi me animus fallit, in medio nomine poſt conſonantem idem facere invenitur; idque poſt inventas vocales longas & conſonantes aſperas. In vetere enim illo & inſigni marmore, in quo Apotheoſis Homeri conſignatur, inter vocales longas & conſonantes aſpiratas (unde, quæ ſit ejus ætas, vides) ſub temporis alati figura nomen ΚΙΡΟΝΟΣ inſculptum habemus; quod Spanhemio, & qui commentario illuſtravit clariſſimo Cupero placet legi ΚΗΡΟΝΟΣ; mihi vero potiùs Κ⊦ΡΟΝΟΣ, quod propiùs accedit ad marmor, in quo ſolus evanuit medius notæ aſpirationis apex vetuſtate. Hoccine enim eſt credibile, quo marmore H pro longa vocali in verbis undeviginti (nec plura habet marmor) ſepties inſit, in eo ut ſemel pro litera aſpirationis occurrat? quare is, qui hoc marmor conſtituit, quum vetere ſcriptura Heroici temporis, quod Homerus deſcripſit, vetuſtatem, Homerumque ipſum antiquiſſimum vellet oſtendere, quam potuit veterrima uſus eſt ſcribendi ratione: & cùm non potuit ΚΗΡΟΝΟΣ, litera aſpirationis H jam longa vocali facta, cum nota aſpirationis ⊦ Κ⊦ΡΟΝΟΣ, non novo modo ΧΡΟΝΟΣ, inſculptum dedit. Adeò verum eſt, quod ſcribit Voſſius lib. ii.

H de

de Art. Gram. c. 2. " Uti hodie apud nos, ita & apud vetuſtos Græ-
" cos, ſolus ſpiritus denſus hanc notam habuit vocibus præfixam, H.
" Pòſt placuit, ut nota hæc dextra ſui parte ⊦ ſignaret ſpiritum den-
" ſum, læva ⊣ tenuem. Tandem quoque ad celeriorem motum anguli
" ſunt hebetati, factique pares ſemicirculi c ɔ." Atque hæc aſpirationis nota ⊦ à Græcis aliquando ad Latinos, ſed recentiores, tranſiit. Invenitur certè in Manuſcriptis Latinis. Audi Salmaſium in Herod. Attic. Inſcript. p. 43-4. " Illud etiam valde notatu dignum, in pleriſque ve-
" teribus codicibus Latinè ſcriptis, Latinis vocibus anteponi ⊦, more
" Græcorum, ut ⊦omo, ⊦umus, & ſimilibus. quod nos vidimus in an-
" tiquiſſimo Gloſſarum codice, qui ſervatur in Bibliotheca Palatina, &
" in Iſidoro manu exarato ejuſdem Bibliothecæ, & aliis non paucis." Unde ille error Iſidori ſuis Latinis tribuentis, quod multis ante ſæculis à Græcis eſſet factum. Atque hoc cùm in morem conſuetudo ſcribendi perduxerat, non incredibile eſt, eandem iſtanc ſimilitudinem literæ F & hujus notæ aſpirationis ⊦ in Latinis, haud aliter atque in Græcis, errorem creâſſe. Certè propter hanc rem videtur deceptus Salmaſius ipſe, dum ut exemplum, veteres Latinos H & F nullo diſcrimine in vocabulis compluribus uſurpâſſe, *Heliconem* & *Feliconem* profert p. 51. in Inſcript. Herod. Attic.

C A P. XXII.

Harum vero duarum conſonantium, quas Simonidem Plinius adjeciſſe dicit, alteram, nempe Z, veterem fuiſſe, & in antiquiſſimo utroque Alphabeto Græco, oſtendi Not. 9, in eoque Ariſtotelem auctorem habeo, qui apud Plinium ipſum hanc inter priſcas vult fuiſſe. Totidem tamen conſonantes etiam, quot vult Plinius, adjecit Simonides. Invenit enim, & ad priſca ex elementis longa & duplicia adjecit ſecundum Suidam in Σιμωνίδης: προσεζεῦσε δὲ καὶ τὰ μακρὰ τῶν στοιχείων, καὶ διπλᾶ. Ubi τὰ μακρὰ ſunt H & Ω, τὰ διπλᾶ Ξ & Ψ; cum Z à primo fuit. Erravit ergo Plinius Ξ à Palamede additam docens, cujus tantummodo poteſtatem ſuæ figuræ X dederat Palamedes, quod ſuprà demonſtratum eſt Not. 19. De Ψ litera Græcorum ex Tſade Phœnicio, ſeu Samaritano & vetere Hebraïco, facta, hæc habet Voſſius de Art. Grammat. lib. i. c. 21. " Porro quod Græci finxere Ψ, id ex eo eſt, quia Hebræi ha-

 " berent

" berent Tſade, quod valet TS. Græci autem non tam nota τσ, quàm " πσ indigebant. Unde pro Tſade recepere Ψ, poteſtate paulum di- " verſa, ſed non valde diſſimili figura. Non indiguiſſe autem Græcos, " vel etiam Latinos, Tſade, arguit, quod in vocibus Hebræis ex Tſade " ſive Tſ, vel ſolum T retinent, vel ſolum S. Ut ex *Tſor*, tum eſt " Τύρος, tum *Sarra*. Nam eadem Sarra ac Tyrus: uti poëtis pro eodem " ſumuntur *Sarranum oſtrum* & *Tyrius murex*." Quod in noſtro Simonidis Alphabeto inter literas adhibitum eſt à me Λ *vel fortè* L, in Calliſtrati quidem Samii Alphabeto, quod in uſu manſit quotidiano uſque adhuc, Λ fuit. quamdiu vero antea, an & temporibus Simonidis fuerit, non ita certa res eſt. Eodem tempore, quo Simonidis longas vocales non adhibebant Attici, non Λ, ſed L utebantur, Herode Attico judice. Occurrit enim in Columna Farneſiana LOION, id eſt, λῷον *melius*, quod ſi Atticis, Ionibus olim dictis, tum fuit L, certè adhuc manſit Æolibus, qui eam cum literis unà cæteris, æquè ac Latini, à Pelaſgis acceperant. Nec litera L in illa columna modo eſt, ſed etiam D, ſicut in ipſo initio Inſcriptionis ODENI, quod eſt, οὐδενὶ *nemini*; atque E pro ē longa, ut METAKINESAI, hoc eſt, μετακινῆσαι *tranſmovere*, ubi S quoque habemus; H pro h̄ eſſe illic, ſuprà demonſtratum eſt Not. 10; & item O pro ō longa, ut HODOI, hoc eſt ὁδῷ *via*; & R, ut TRIOΠIOI pro Τριοπίῳ, quod eſt templi & fundi nomen, ubi Γ etiam media eſt inter R Latinam & Π Græcam; denique Y, ſi non antiquiſſima, alia atque antiquior ea, nunc quæ eſt, ut MARTYS *teſtis*. Adeò verum eſt, quod habet Plinius de literis, lib. vii. cap. 58. *Veteres Græcos fuiſſe eaſdem pæne, quæ nunc ſunt Latinæ*.

C A P. XXIII.

De X litera docet Plinius lib. vii. cap. 56. *Quibus* [Cadmi literis] *Trojano bello Palamedem adjeciſſe quatuor hac figura* Θ Ξ Φ X. —— *Ariſtoteles* —— *duas ab Epicharmo additas* Θ X, *quàm à Palamede mavult*. De Θ litera adverſum Ariſtotelem cauſam pro Plinio dixi Not. 19, veteribus nummis adhibitis AΘE & ΘE, certiſſimis teſtibus, Θ priùs in uſu fuiſſe, quàm Simonidis longas vocales; ideóque Palamedem adjeciſſe, non Epicharmum Simonide poſteriorem. De Ξ litera Plinium erráſſe, & errandi cauſam oſtendi in ſuperiore nota. X vero pro Ξ, tanquam apud Latinos, à Græcis etiam olim uſurpata, ut in aliquot

nummis antiquis AXYP & NAXI, vidimus, rectè argumenti loco ſumi poteſt, non adhuc ab Simonide repertam fuiſſe Ξ literam, ſaltem uſu receptam non fuiſſe. Non poſſe ergo ad Epicharmum Simonide ætate poſteriorem, ut primum inventorem, referri; ſed ad aliquem ante Simonidem, qui, niſi Palamedes, nemo potuit eſſe. Quamobrem rectè dicit Plinius, *Palamedem adjeciſſe literam hac figura* X. Nec malè *Ariſtoteles ab Epicharmo additam* X, *quàm à Palamede maluit*; quum Epicharmus non Alphabeto modò reſtituit, ubi pæne Simonidis opera perierit, ſed etiam illi poteſtatem novam, nunc quæ eſt, CH dedit. Ac poteſtas, ut docet Voſſius de Art. Gram. lib. i. c. 12, ſola eſt forma eſſentialis literæ, qua invicem diſtinguuntur literæ: figura, ut & nomen earum tantùm accidens eſt. Siquis meliùs, uti concilientur inter ſe hi ſcriptores, ſciat & communicârit, debeam illi gratiam. Interim mihi ſatis eſt, quod in utraque re auctorem habeo, quem ſequar.

C A P. XXIV.

Verba ipſa in iis ineditis Voſſiani codicis in Homeri Iliada Scholiis ad H. v. 183, quæ excerpſit Spanhemius, & nobis exhibuit, pag. 85. de Uſ. & Præſtant. Numiſm. hæc ſunt, Ὀυχ᾽ οἱ αὐτοὶ γὰρ ἦσαν περὶ Πάριν τοῖς Ἕλλησι χαρακτῆρες. διάφορα δὲ καὶ τὰ τῶν στοιχείων ὀνόματα. Καλλίστρατος δὲ ὁ Σάμιος ἐπὶ τῶν Πελοποννησιακῶν ταύτην μετήνεγκε τὴν Γραμματικὴν, καὶ παρέδωκεν Ἀθηναίοις, ὥς φησιν Ἔφορος. Ubi Scholia nobis tradunt, ut dictum ab Ephoro, primùm, *literarum formas apud Græcos non eaſdem Troicis temporibus fuiſſe, ac poſtea*; quod Herodis Attici judicium quam maximè confirmat, tum autem *elementorum nomina etiam alia dicta fuiſſe*, propiùs, ut opinor, ad Phœnicia, ſeu Samaritana, accedebant. Poſt hæc, *Calliſtratum Samium Peloponneſiaco bello tranſtuliſſe in illam, nunc quæ eſt, & tradidiſſe Athenienſibus, ut dicit Ephorus.* Hic Ephorus cum Theopompo unà Iſocratis fuit diſcipulus, ut ex Cicerone in Bruto ſcias, atque adeo claruit Olymp. cxi. Quod autem Calliſtratus auctor hujus quatuor & viginti literarum Alphabeti fuit, idque apud ſuos populares Samios, ſcriptoris fide antiquioris etiam Ephoro comprobari poteſt; nempe Andronis Epheſii, Philippi Macedonis æqualis. Philippus autem occiſus fuit Olymp. cxi. 1. Ait enim Suidas in Σαμίων δῆμος: ὅτι παρὰ Σαμίοις εὑρέθη πρώτοις τὰ κδ´ γράμματα ὑπὸ Καλλιστράτου. ὡς Ἄνδρων ἐν Τρίποδι. Hinc Samii πολυγράμματοι, id eſt,

qui

qui multis utuntur literis, erant aliis Græcis, qui nondum eorum literas quatuor & viginti acceperant, & priſcis utebantur ſolis. quod Ariſtophanes alludens confirmat hoc verſu è Βαβυλωνίοις, quæ deperiit comœdia, apud Plutarchum in Pericle pag. 166. Σαμίων ὁ δῆμός ἐστιν, ὡς πολυγράμματος! quanquam Plutarchus aliam interpretationem ſecutus eſt. Hoc enim aliquis dicit, ubi Babylonios ex piſtrino vidit, illorum aſpectum admiratus (qui frontem habebant multis inuſtam literis, ut ſolebant ſervi improbi, in piſtrinum dediti uſque ad necem, nonnunquam etiam capti ex hoſtibus). Heſychius Σαμίων ὁ δῆμος. φησί τις παρὰ τῷ Ἀριστοφάνει, τοὺς ἐκ τοῦ μύλωνος ἰδὼν Βαβυλωνίους, Σαμίων ὁ δῆμός ἐστιν, ὡς πολυγράμματος! καταπληττόμενος τὴν ὄψιν αὐτῶν, addit καὶ ἐπαπορῶν *& animi pendens, quid illud ſit negotii.* malo ego cum Suida ἐπισκώπτων τοὺς ἐστιγμένους *ſtigmatias cavillans.* Pergit Heſychius ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα ἱστορία, δι' ἣν πολυγράμματον ἔφη Σαμίων δῆμον, ἐπεὶ δὴ Ἑλλήνων Σάμιοι πολυγράμματοι ἐγένοντο πρῶτοι καὶ χρησάμενοι καὶ διδόντες εἰς τοὺς ἄλλους Ἕλληνας τὴν διὰ τῶν τεσσάρων καὶ εἴκοσι στοιχείων χρῆσιν. hinc in ambiguo nomine πολυγράμματος ludit Comicus. Athenienſes vero non ante archontem Eucliden receperunt Calliſtrati Samii literas quatuor & viginti, ſive ut vocantur etiam, Ionum literas. Urbem enim *Ioniæ nobiliſſimam Samum* dicit Cicero fuiſſe ad Quint. lib. i. ep. 1. cap. 8, ut nè eamus ad Geographos. His autem literis ut uterentur, quidam Archinous Athenienſibus perſuaſit. Suidas ibid. τοὺς δὲ Ἀθηναίους ἔπεισε χρῆσθαι τῶν Ἰώνων γράμμασιν Ἀρχῖνος ὁ Ἀθηναῖος ἐπὶ ἄρχοντος Εὐκλείδου. Euclides archon fuit anno ſecundo Olymp. xciv, ut è Diodoro cognitum eſt: quanquam ille his, quæ de tyrannis triginta habet ad annum 4tum hujus Olympiadis, maximos viros feſellit, quaſi ad Olympiadis finem eſſent tyranni. Euclides enim primus archon fuit poſt tyrannis imperium abrogatum, & reipublicæ procurationem populo redditam. Ei rei firmat fidem lex illo tempore lata, quam legas apud Andocidem, qui tum fuit, Orat. i. p. 215. Τοῖς δὲ νόμοις χρῆσθαι ἀπ' Εὐκλείδου ἄρχοντος. *Legibus uti jam inde ab Euclide archonte*, hoc eſt, ut Cornelius Nepos in vita Thraſybuli, qui legem tulit, c. 3, interpretatur, *ne quis ante actarum rerum accuſaretur, neve mulctaretur; eamque illi legem Oblivionis appellârunt.* In alterutram ergo partem peccat Diodorus, vel quod biennio ante Euclidem archontem, vel quod biennio pòſt tyrannos exactos præter æquum facit. priùs cenſent Euſebius, Scaliger, & Petavius; certè, quod

Diodorus de tyrannis dicit, id illi ſequuntur; cenſet item Petitus: poſterius cenſet Dodwellus, quem tu vide ſis in Annalibus Xenophonteis viii° anno. Pergit Suidas τοὺς δὲ Βαβυλωνίους ἐδίδαξε διὰ Καλλιστράτου Ἀριστοφάνης ἔτεσι πρὸ τοῦ Ευκλείδου καὶ ἐπὶ Ἐυκλέους. Cave hunc Calliſtratum cum Calliſtrato Samio confundas. Hic Calliſtratus actor fuit Athenienſis, per quem Ariſtophanes fabulas dedit politicas, ſive in quibus de re publica agitur; ſicut in Euripidem & Socratem privatos ſcriptas per Philonidem. Anonymus περὶ Κωμωδίας, ἐδίδαξε δὲ πρῶτος ἐπὶ ἄρχοντος Φιλοτίμου [Ἀριστοφάνης] διὰ Καλλιστράτου [immo πρῶτον ἐπὶ ἄρχοντος Διοτίμου]. τὰς μὲν γὰρ πολιτικὰς τούτῳ φασὶν αὐτὸν διδόναι, τὰ δὲ κατ' Ευριπίδου καὶ Σωκράτους Φιλωνίδῃ. Eucleem autem, qui eo anno archon fuit, quo Ariſtophanes Babylonios per Calliſtratum dedit, Ariſtoteles habet, dicens cometam illo archonte viſum fuiſſe, Meteorolog. lib. i. cap. 6. ἐπὶ δ' ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἐυκλέους τοῦ Μόλωνος, ἐγένετο κομήτης ἀστὴρ πρὸς ἄρκτον, μηνὸς γαμηλιῶνος περὶ τροπὰς ὄντος τοῦ ἡλίου χειμερινάς. Ita editio Sylburgiana; ſed Ariſtotelis codex, quem ſecutus eſt Joannes Grammaticus, pleniùs habet ἐπὶ δὲ τοῦ ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἐυκλέους τοῦ Μήλωνος τοῦ μετὰ Διότιμον, ἐγένετο, &c. ex quo, Eucleem archontem fuiſſe Olymp. lxxxviii. 2, & ab Diodoro Euclidem perperam dictum eſſe, conſtat, cum, ut ipſe vult, ſuperiore anno, nempe hujus Olympiadis primo, Diotimus archon fuit. Ab Euclide ergo archonte Olymp. xciv. 2, ad Eucleem archontem Olymp. lxxxviii. 2, retro numerantur anni quatuor & viginti. Quare apud Suidam reſcribendum eſt τοὺς δὲ Βαβυλωνίους ἐδίδαξε διὰ Καλλιστράτου Ἀριστοφάνης ἔτεσι πρὸ τοῦ Ἐυκλείδου κδ', ἐπὶ Ἐυκλέους. quod addidit Suidas, ut, Samios quatuor & viginti literis uſos annis quatuor & viginti ante, quam eas recepiſſent Athenienſes, teſtimonio Ariſtophanis oſtenderet: quod haud multo poſt factum abs Calliſtrato hoc quatuor & viginti literarum Alphabetum erat, ſi verus eſt Ephorus, qui dicit, factum id Peloponneſiaco bello; quando annus, quo Athenis archon fuit Euclees, Peloponneſiaci belli erat quintus. Vide Dodwelli Annales Thucydideos. quanquam ille hic Diodorum ſecutus Euclidem nominat. Ille autem alter Iſocratis diſcipulus Theopompus de eo, qui perſuaſit Athenienſibus, uti his Ionum literis uterentur, in hiſtoria dixit. Sequitur enim apud Suidam περὶ δὲ τοῦ πείσαντος ἱστορεῖ Θεόπομπος. Atque Athenienſium habita ratione, τὴν γραμματικὴν μετ' Ἐυκλείδην οὖσαν, hunc vocabant modum ſcribendi per quatuor & viginti

literas

Digitized by Google

literas Græci, ut ſcire eſt ex Plutarchi Ariſtide p. 319. τὸν δὲ χρόνῳ πολλῷ νεώτερον. ὡς ἐλέγχει τὰ γράμματα τῆς μετ' Εὐκλείδην ὄντα γραμματικῆς. *Illum vero multò ætate poſteriorem, ut fidem faciunt literaturæ poſt archontem Euclidem literæ.*

C A P. XXV.

Quod dixi de C litera in Alphabeto Latino ab initio, ut Pelaſgicæ Γ locum, ita poteſtatem habente, confirmat Verrius Flaccus dicens, quod antiqui per C literæ formam nihilominus G uſurpabant. Legas enim apud Feſtum *Orcum, quem dicimus, ait Verrius ab antiquis dictum Vragum, quod & V literæ ſonum per O efferebant, & per C literæ formam nihilominus G uſurpabant,* ——— *quòd is Deus maximè nos urgeat.* Hoc eſt, quod *Oracum* (unde Orcus per Syncopen) ſcribebant *Vragum* dixerunt, per O literæ formam V literæ ſonum efferentes [quòd ſuprà demonſtratum eſt Not. 16.] & per C literæ formam G literæ ſonum efferentes: quòd ſi *Orcus* ab *urgeo* derivetur, tum antiqui ſcribebant *orceo.* Idem Feſtus *Prodigia, quod prædicunt futura*; *permutatione* G *literæ. Nam quæ nunc* C *appellatur, ab antiquis* G *vocabatur.* Scilicet antiqui *prodicunt* ſcriptum efferebant *prodigunt*; non ut nunc *prædicunt* efferunt permutatione literæ cum ſono G. Nam quæ nunc *Ce* appellatur, ab antiquis *Ge* vel *Gamma* vocabatur. Ita ſcribit Marius Victorinus lib i. extremo cap. de Orthograph. C *autem & nomen habuiſſe* G, *& uſum præſtitiſſe*; *quod nunc Caius per* C, *& Cneus per* Cn, *quamvis utriuſque ſyllabæ ſonus* G *exprimat, ſcribuntur.* Unde hæc prænomina duo ſcripta ſunt à Græcis, non, ut alia Latina nomina, per K, ſed per Γ, Γάϊος vel Γαῖος, & Γναῖος. Occurrit priùs in Novo Teſtamento, utrumque apud Plutarchum. Idem priùs in eodem capite de Orthograph. dixerat pag. 2459. Edit. Putſchianæ, *Pro* G *apud antiquos* C *poni ſolitum, ut pro agro Gabino Cabino*; *pro lege lece*; *acna pro agna.* Ita tamen, ut in his apud antiquos literæ C, apud novos literæ G, non varius eſſet ſonus pronuntiandi; ſed idem, ac nunc qui eſt literæ G. Hinc Auſonius Idyllio de Literis,

Prævaluit poſtquam Gammæ vice functa priùs C.

Sed à Grammaticis ad omnium Latinæ linguæ monumentorum antiquiſſimum, columnam Duilianam, noſmet recipiamus, in qua videas LECIONES pro *legiones*; MACISTRATOS pro *magiſtratus*; EXFOCI-

ONT

Digitized by Google

ONT pro *exfugiunt*; PVCNANDOD pro *pugnando*. " Nummi inſu-
" per fidem faciunt [inquit Spanhemius de Uſ. & Præſtant. Numiſm. p. 102.] " in quibus inter alia occurrit OCVLNIVS pro OGVLNIVS. [vide, amabo, Fulv. Urſini Famil. Roman. ex antiq. Numiſm.] addit Spanhemius, " Virorum in his literis principum diverſæ de antiquis " Græcorum literis minuſque veræ ſubinde notationes ad veterum num- " morum fidem ac ſcripturam, tanquam antiquiſſima & certiſſima ejuſ- " dem rei monumenta, exigendæ continuò ac revocandæ." Atque ut tertia in ordine literarum Latinis C eandem poteſtatem habuit, ac tertia in eodem ordine Græcis & priùs Phœnicibus & nunc Samaritanis, nempe ſonum G, ita forma ipſa C Græca mihi videtur eſſe. Nonnunquam enim fuiſſe uſurpatam olim à veteribus illis Græcis, certum & clarum eſt Gelæ & Agrigenti oppidorum Siciliæ nummis antiquis. ſicut apud Parutam in nummo primo ſub titulo Dell Alicata CEΛA, cùm in ſecundo ſit ΓEΛA, in tertio ΓEΛ, in omnibus cum dimidia figura Minotauri, ut liqueat nummos ejuſdem urbis eſſe. Minotaurus autem monſtrum Cretæ, fuiſſe ex Creta hìc advenas, eſt indicio. Antiphemus enim è Rhodo & Entimus ex Creta colonis deductis ex communi conſenſu condiderunt. Thucydides vi. 4. *Γέλαν δὲ Ἀντίφημος ἐκ Ῥόδου ϗ Ἔντιμος ἐκ Κρήτης ἐποίκους ἀγαγόντες κοινῇ ἔκτισαν ἔτει πέμπτῳ ϗ τεσσαρακοστῷ μετὰ τὴν Συρακουσῶν οἴκησιν.* Item ſub titulo Fiume Salſo numm. tertio, nono, decimo tertio CEΛAΣ, atque undecimo ab dextra ad ſiniſtram ƸAΛƎƆ. Gelas flumen, unde urbi id erat nomen. Thucydides ibid. *ϗ τῇ μὲν πόλει ἀπὸ τοῦ Γέλα ποταμοῦ τοὔνομα ἐγένετο.* Item ſub titulo Di Gergenti num. 17. AKRAC / ƸOTNA quod genus ſcribendi Græcis dicitur *βουστροφηδὸν*, quum in ſcribendo more boum arantium ſe vertat aliquis & flectat. Et num. 18 una ex parte AK / AЯ, altera ex parte CAΣ. in quibus etiam Latinum R habemus. Qui autem Græci fuerint, qui ea eſſent uſi forma Gammæ, rogas? Gelenſes fuerunt partim Cretes, partim Lindii è Rhodo inſula. Hinc locus, quo in loco urbs erat, & quem primùm muro muniebant, Lindii vocabatur. Thucydides ibid. *τὸ δὲ Χωρίον, οὗ νῦν ἡ πόλις ἐστὶ, ϗ ὃ πρῶτον ἐτειχίσθη, Λίνδιοι καλεῖται.* Jura legeſque Doricæ

Doricæ fuerunt illis datæ. Thucydides, νόμιμα δὲ Δωρικὰ ἐτέθη αὐτοῖς. ut fuiſſe Dores videatur. quanquam Lindios & Rhodios cæteros, ante conditam ipſam urbem Rhodum, non vult Strabo Dores, ſed Æoles fuiſſe. vide ipſum p. 653. Quod vero ad dialectum & dialecti literas attinet, paullum intereſt, Dores, an Æoles fuerint, quod ſuprà demonſtravimus Not. 11. Cretam plures incolebant populi, lingua inter ſe differentes, ut dixit poëta, qui eos nominavit, Od. τ. 175.

Ἄλλη δ' ἄλλων γλῶσσα μεμιγμένη, ἐν μὲν Ἀχαιοὶ,
Ἐν δ' Ἐτεόκρητες μεγαλήτορες, ἐν δὲ Κύδωνες,
Δωριέες τε τριχάϊκες, δῖοί τε Πελασγοί.

Ex quibus Eteocretas & Cydonas ex ipſa ortos Creta, Straboni fit veriſimile; reliquos advenas fuiſſe. Ex his Achæi ſuerunt Æoles. Pelaſgos autem literas cæteris omnibus dediſſe puto. Agrigentum vero à Gelenſibus (à Græcis Γελῶοι dicuntur) conditum demonſtrat Thucydides ibidem. Ἔτεσι δὲ ἐγγύτατα ὀκτὼ καὶ ἑκατὸν μετὰ τὴν σφετέραν οἴκησιν Γελῶοι Ἀκράγαντα ᾤκισαν. Nunc autem ut tempora inſpiciamus, ſi Gelam Antiphemus & Entimus condiderunt anno quarto & quadrageſimo poſt conditas Syracuſas, ut dixit Thucydides; tum Gela condita fuit Olymp. xxiii. 1. Syracuſas enim in Sicilia conditas ad quartum annum Olympiadis undecimæ Euſebius Scaligeri refert. Et ſi fere ab ſua ſibi urbe condita centum & octo anni fuerunt, cùm Gelenſes Agrigentum condiderunt, ut idem inquit; tum Agrigentum fuit conditum Olymp. l. 1. quo tempore nondum apud Græcos Gamma C forma ſcribi deſierat ut ex hujus urbis nummis poſt hoc tempus ſignatis certum & clarum eſt. Verùm ut aliquot poſt annos hujus literæ forma à Græcis videtur fuiſſe immutata, & in morem conſuetudo perduxit, ut pro C ſcriberetur Γ; ita apud Latinos, ſed multis, credo, pòſt ſæculis, in pleriſque verbis poteſtas hujus literæ fuit immutata; cùm prava conſuetudo pronuntiandi tantum invaluit, ut, pro vetere ſono quem efficit Γ, novum atque eundem, quem Pelaſgicum Ϙ, ipſorum q, & Ionicum K efficiunt, ſonum referret. Neque iſtuc tam mirum videbitur ei, qui ſecum reputet, quanta ſit harum literarum C & G inter ſe affinitas, quæ ejuſdem ſunt ordinis mutæ, & facillimè vertuntur altera in alteram. *Auctio certè ab augendo dicta eſt: & numeri cùm habeant* C, *ut ducenti, trecenti, ſexcenti,* G *reli-*

quæ habent, ut quadringenti, nongenti, cum G. verba ſunt Marii Victorini p. 2459 Edit. Putſch. De tempore autem, quum iſta ſoni C mutatio in ſonum K Latinis cæpit fieri, nihil certi habemus. Satis hoc certum eſt, ante primum bellum Punicum cæpiſſe, quandoquidem in columna Duiliana uſus eſt hujus C literæ utroque modo, vetere & novo, tum pro Γ, tum pro K poſitæ prius ſuprà oſtendimus; nunc de poſteriore. Hujuſmodi ſunt CASTREIS pro *caſtris*, CEPET pro *cepit*, CONSOL pro *conſul*, CLASEIS pro *claſſes*, POENICAS pro *Punicas*, COPIAS *copias*, DICTATORED pro *dictatore*, CUM SOCIES pro *cum ſociis*, CAPTOM pro *captum* ter; in quibus omnibus jam tum C, quantum ego ſuſpicor, literæ Græcæ K poteſtatem & ſonum arripuerat; ut nè addam CARTACINIENSIS pro *Carthaginienſes* bis, & pro K & pro Γ. Ita hoc tempore una litera C vim in ſe literarum duarum Γ & K, & poteſtatem habuit duos varios efficiendi ſonos, in aliis verbis, aut etiam ejuſdem verbi ſyllabis, unum, in aliis alterum. Nam etſi Γ & K literæ affines ſoni ſunt maximè, at diverſæ duæ ſunt literæ, diverſi ſoni tamen. qui varii unius literæ ſoni, neceſſe fuit, in multis ut vulgus incertum de pronuntiatione facerent. Id ut nè fieret, Sp. Carvilius voluit eſſe remedio, adjecta nova forma literæ G, quod Plutarchus in Quæſt. Rom. ſuis retulit, ubi *macellum* à Gr. μαγείρων [Æolicè μαγέῤῥων, Salmaſius de Uſuris] dictum eſſe judicat. quia ut κ̄ & γ̄ cognatæ erant literæ apud Romanos, ii utebantur κ̄ pro γ̄: καὶ γὰρ τὸ κ̄ πρὸς τὸ γ̄ συγγένειαν ἔχει παρ᾽ αὐτοῖς. ὀψὲ γὰρ ἐχρήσαντο τῷ γάμμα, Καρβιλίου Σπορίου προσεξευρόντος. pag. 277. ejus autem nomen, qui G literam cæteris inventam addidit, eſt Sp. Carvilius, ut certo ſcimus è nummo Goltziano in Faſtis ad A. V. CDXIX inſcripto SP. CAVIL. SP. F. id eſt, SPurius CARVILius SPurii Filius. Non tamen is erat Carvilius, qui eo anno conſul fuit, ſed is, ut puto, quem, in ſequenti pagina dicit Plutarchus, Romæ primum aperuiſſe ludum, in quo literæ diſcerentur, libertum Carvilii illius, abs quo Romæ primo factum ſuit divortium. Ὀψὲ δὲ ἤρξαντο μισθοῦ διδάσκειν. καὶ πρῶτος ἀνέῳξε γραμματοδιδασκαλεῖον Σπόριος Καρβίλιος ἀπελεύθερος Καρβιλίου τοῦ πρώτου γαμετὴν ἐκβαλόντος. De tempore autem quo hoc factum fuit divortium, in variis & diſcrepantibus ſcriptorum ſententiis, quem potiùs ſequamur, quàm Cice-

roniſ

ronis æqualem, Ser. Sulpicium, illo judice in Bruto, *longè omnium non ejuſdem modò ætatis, ſed eorum etiam qui fuiſſent, in jure civili principem?* Sic eſt ejus ſententia, quam Gellius libro quarto cap. 3. ſcripſit, *Servius quoque Sulpicius in libro, quem compoſuit de Dotibus, tum primùm cautiones rei uxoriæ neceſſarias eſſe viſas ſcripſit, quum Sp. Carvilius, cui Ruga cognomentum fuit, vir nobilis, divortium cum uxore fecit, quia liberi ex ea, corporis vitio, non gignerentur, anno urbis conditæ* IↃXXIII, *M. Atilio, P. Valerio, Coſſ.* Hi autem conſules erant anni Varroniani DXXVII, in quo non videtur ſibi conſtare Sulpicius. Hinc aliqui putant in ſcribendo numero librarium erràſſe; alius conſulum nomina cenſet mutanda. Sed multo facilius fuit illi errare in numero, quàm in totis nominibus. Quanquam in hiſtoria Romana idem annus variè numeratur pro variis Epocharum hypotheſibus. Ita hunc annum, qui in Epocha Varroniana eſt Urbis conditæ DXXVII, numerus non quadriennio minor modò, ſicut hîc IↃXXIII, ſed etiam ſex totis annis minor in Fabii Pictoris Epocha deſignat, nempe IↃXXI. Vide Dodwellum de Cyclis Tab. xiii. ad Diſſ. x. p. 878. Quod ſi Ser. Sulpicio Epocha, quæ eſt Capitolinorum marmorum, placuit, is annus, quo erant conſules quos ipſe nominat, erit IↃXXVI, ex quo, librario erranti IↃXXIII facere, quàm facile fuit? hic ergo Sp. Carvilius, abs quo primo factum fuit divortium, Ser. Sulpicio *vir nobilis*, certè is eſt, qui bis conſul fuerat, anno DXX & DXXVI, atque in priore conſulatu egerat victor de Sardis triumphum. Atque hujus Carvilii libertus fuit Sp. Carvilius, qui primus Romæ ludum aperuit in quo literæ diſcerentur, & docere incepit mercede. Et qui Sp. Carvilius meliùs dici poteſt G literam cæteris inventam addiſſe, quàm is magiſter ludi, cujus auctor primus fuiſſet? eamque ego credo literam gratia tyronum ac rudium diſcipulorum maximè ab illo excogitatam, nè, quia una litera C cum duarum literarum Γ & K poteſtate ac vi erat, nunc hac, nunc illa, eò fieret, ut in nominibus pronuntiandis ignari errarent, aut incerti hæſitarent. ideoque C communi utriuſque poteſtatis literæ notam cognitionis ab imo eſſe additam, qua, ut propria, ejus poteſtas vetus ab nova diſtingueretur. atque ita ex C facta eſt G. quod non fuit ante annum Urbis conditæ Varronianum DXXVII, ut dictum eſt; hoc eſt, annis ante ſecundum Punicum bellum novem; ut ego errarem, & Voſſius eſt in culpa, qui ſcribit p. 37 de Art. Gram. " Videtur is Carvilius ludum habuiſſe Grammaticum Romæ circa an-

" num IↃXL," cum ſcribere oportuit illum DXXX. Annus autem IↃXXVII fuit pòſt poſitam columnam Duilianam ob Pænos primùm claſſe devictos annis triginta & tribus. Serò igitur, quod dixit Plutarchus, nec niſi poſt longam annorum ſeriem utebantur G litera, Sp. Carvilii invento, Latini. Idcirco Diomedes appellat *novam* lib. ii. cap. de litera pag. Edit. Putſch. 417-8, cujus verbis de hac litera finem faciam dicendi mihi: G *nova eſt conſonans, in cujus locum* C *ſolebat apponi, hodieque cum Gaium notamus Cæſarem, ſcribimus C. Cæſarem. Ideoque poſt* b *literam tertio loco digeſta eſt, ut apud Græcos* γ *poſita reperitur in eo loco.*

C A P. XXVI.

Ex tribus literis C, K, q, ejuſdem quondam poteſtatis apud Latinos, ſed diverſis temporibus, eam poteſtatem jure optimo habuit q; cùm in antiquiſſimo Alphabeto Phœnicio, nunc Samaritano, (unde cæteræ, de quibus agimus, ortæ ſunt) Koph, cujus locum atque ordinem poſt Pelaſgicum Koppa ſervat q, eam ſola habuit: Caph vero, unde Ionicum K, fuit Ch; Gimel, unde Γ & C, fuit g. Eandem etiam poteſtatem fuiſſe in Pelaſgico Alphabeto Koppa, ex aliquot nummis antiquis Crotonis, Syracuſarum, & Corinthi ſuprà demonſtratum eſt Not. 11. Et quam aliam habuiſſe poteſtatem apud Latinos credibile eſt, quàm priùs habuit apud Pelaſgos, unde cum literis acceperunt cæteris Latini? Neque enim diverſæ duæ ſunt literæ ϙ & q. ſed diverſæ duæ ejuſdem literæ figuræ. hinc in aliquot regum Syriæ nummis antiquis litera q ſignificatur numerus nonaginta, quod Koppæ, ut proprium eſſet ſuum, Calliſtratus dedit, ſicut Antiochi Grypi apud Vaillantium in Hiſt. Reg. Syriæ pag. 335, qp, hoc eſt an. cxc Seleucidarum, qui eſt Olymp. CLXIV. 2. item p. 338, Aqp, CXCI. & p. 339, Bqp, CXCII. & p. 341. Δqp, CXCIV. & p. 344, ⌶qp, CXCVII. ubi ⌶ quoque pro Z. & Antiochi Cyziceni p. 348, Θqp, CXCIX. confirmat Heſychius, cui Koppa eſt p averſum; τὸ Κόππα, ὃ ἐστιν ἀπεστραμμένον p. quod eſt ipſum Latinorum q. Heſychii locum habes Not. 11. quando igitur figura Latinorum q fuit una duarum, quas habuit Pelaſgicum Koppa, & fortaſſe antiquior, eam certè à Pelaſgis acceperunt, neque, ut videtur, alia cum poteſtate, atque apud Pelaſgos fuit; præſertim cùm, ut C literæ poteſtas tum erat G, quod ſuperiore nota demonſtratum eſt, neque adhuc illis K fuit, ut mox videbimus, aliam nullam cum ea poteſtate habebant literam. Atque

ita

ita rem fuiſſe indicat Plautus in Ciſtellaria Act. ii. Sc. i. v. 30. *Quod dedi, da'tum non vellem :' quod reliquum eſt,' non dabo*; ubi, niſi *reliquum* conſtat ex quatuor ſyllabis, & legatur *relicuum*, verſus claudicat, qui eſt Trochaicus tetrameter catalecticus, atque adeo reſpuit Iambum. Ita antiquiſſimi Manuſcripti Codices in Lucretio habent lib. i. v. 561.

Nunquam relicuo reparari tempore poſſet:

malim tamen cum Lambini libris veteribus *rellicuo*. Ita quoque Lambini Codd. Bertin, & Mem. in Lucretii iv. v. 974.

Rellicuas tamen eſſe vias in mente patentes.

Hoc ergo tempore adhuc q literæ ea fuit poteſtas, quæ modo C literæ data erat. Non enim potuit fieri, ut ex *quas*, *cuas*; ex *quo*, *cuo*; ex *quum*, *cuum*, ex unis geminas ſibi conficerent ſyllabas, niſi eadem eſſet poteſtas utrique, & utraque eſſet tanquam altera eadem litera. Neque aliter q, atque C, pronuntiarunt illa ætate qua erat Cicero; ut ex ejus joco in verbis *coque* & *quoque* ludentis cognoſci poteſt. Fabius lib. vi. cap. 3. *cum is candidatus, qui coqui filius habebatur, coram eo ſuffragium ab alio peteret, Ego quoque tibi jure favebo.* Donatus in Adelph. Act. iii. Sc. iii. v. 69. *Et Ciceronis dictum refertur in eum, qui coqui filius ſecum cauſas agebat; Tu quoque aderas huic cauſæ. Nam apud Veteres coquus non per* C *literam, ſed per* q *ſcribebatur.* quando ſcilicet C literæ poteſtas erat G. ſi enim verbum *quoque* aliter, ac verbum *coque* efferebant, neque utrumque uno eodemque ſono pronuntiandi, quem ſi Græcè ſcribas, efficit κοκε, nulla erat amphibolia; jocus ex ambiguo abiit, periit. hinc illi Veteres in ſcribendo C & q promiſcuè utebantur; alii hac, alii illa in verbo eodem. ſic *quotidie* & *cotidie* ſcripſerunt: utrum alteri anteferretur, controverſias inter ſe habebant Grammatici. Annæus Cornutus præfert *quotidie*; Velius Longus, Papirianus, Marius Victorinus, & Beda *cotidie* malunt. Sed Cornutum audiamus apud Caſſiodorum p. 2283 Putſchii Grammat. *Nonnulli putant auribus deſerviendum, atque ita ſcribendum ut auditur. Eſt enim fere certamen de recta ſcriptura, in hoc, utrum quod audimus, an quod ſcribi oportet, ſcribendum ſit. Ego non omnia auribus dederim. Quotidie, ſunt qui per* co, cotidie *ſcribant; quibus peccare licet: deſinerent, ſi ſcirent quotidie inde tractum eſſe, à quot diebus, hoc eſt omnibus diebus.* Ex quibus certum & clarum eſt, ſyllabam primam in *quotidie*,

Digitized by Google

quotidie, at pronuntiarunt, effeciſſe ſonum *co*, unde ii, qui auribus deſerviebant, *cotidie* ſcripſerunt. Quid enim eſt *auribus deſervire*, niſi *ita ſcribere, ut auditur*, ſeu vocis ſonum, ut ad aures acceſſit, in verbo ſcribendo ſequi? Itaque non mirum eſt, nonnullos *cum*, nonnullos *quum* ſcripſiſſe; neque abs *quis*, *cujus* & *cui* provenire; quanquam, ſecundum analogiam, omnium partium orationis, quæ per caſus declinantur, eandem literam in prima parte omnes caſus ſervant, quam in nominativo habuerint. immo, ut Scaurus ait p. 2261 Putſchii Grammat. in recto *quis*, & *cuis* ſcripſerunt: *Quis quidam per Cuis ſcribunt, quoniam ſupervacuam eſſe* Q *literam putent.* rectè, an non, parvi pendo. ſigni tamen hoc ſat eſt, haud minùs q literæ poteſtatem eſſe ſuam, propterea quod V ſequitur, quam C literæ ſuam. Qui vero in his verbis q ſcripſerint, Donatus ad hoc Terentii *reſtat Chremes, Qui mihi exorandus eſt*, Andr. Act. i. Sc. i. v. 140, docet, *Legitur et expurgandus. ſi expurgandus; lege cui, non qui, quia cui per* q *veteres ſcripſere.* Si ergo veteres per q, tum novi per C ſcripſere. qui C literæ uſus novorum tantum invaluit, & pleraque omnia arripuit ſibi, ut vix in his atque hujuſmodi paucis relictus q literæ eſſet locus. Annæus Cornutus apud Caſſiodorum in Putſchii Grammat. p. 2283. *Q litera tunc rectè ponitur, cùm illi ſtatim V litera, & alia quælibet una plureſve vocales conjunctæ fuerint, ita ut una ſyllaba fiat. cætera per* C *ſcribuntur.* Idque videtur ſignificare ipſa figura Q literæ ex C & V compoſita; quæ, quanquam ſatis antiqua erat, ut quam columna Farneſiana in particula Que octies habeat, præ altera tamen ejus figura q prorſus nova erat, neque ante, quam C, ejus poteſtate maximam partem arrepta, invaluiſſet, inventa. Velius Longus pag. 2218 Putſchii Grammat. *Nam ipſa quoque nota qua ſcribitur, ſi modo antiquam literæ figuram ſpectes, oſtendit* C *eſſe &* V *pariter literas in ſe confuſas.* Quæ Voſſius ſic interpretatur De Art. Gramm. p. 32. "Nam qui ejus in ſcribendo ductum conſiderarit, reperiat in "ea, qua parte caudam trahit, ad literam C eſſe adjectam V, cujus pars "una protrahitur, altera hiatum C literæ compeſcit." Adeo ut nova figura hujus literæ Q oſtenderet, quid reliquum eſſet ei ſuæ poteſtatis antiquæ.

CAP.

CAP. XXVII.

Ἐπεὶ δὲ [9] ἦλθεν εἰς τὴν φρήτρην, καὶ τοῦ οἴκου, ἔνθα δή γ' ἐδαίνυντο [10] ἐπὶ τὸν οὐδὸν ἔστη, οἱ μὲν λέγουσι καιομένου πυρὸς ἐν τῷ οἴκῳ, οἱ δέ φασι τότε ἐκκαῦσαι σφᾶς, ἐπειδὴ Ὅμηρος τὰ ἔπεα εἶπεν.

Ἀνδρὸς μὲν στέφανος παῖδες, πύργοι δὲ πόληος.
Ἵπποι δ' ἐν πεδίῳ κόσμος, νῆες δὲ θαλάσσης.
Χρήματα δ' αὔξει οἶκον. ἀτὰρ [11] γεραροὶ βασιλῆες,
Ἥμενοι εἰν ἀγορῇ, κόσμος τ' ἄλλοισιν ὁρᾶσθαι.
Αἰθομένου δὲ πυρὸς, γεραρώτερος οἶκος ἰδέσθαι.

εἰσελθὼν δὲ καὶ [12] κατακλιθεὶς ἐδαίνυντο [13] μετὰ τῶν φρατόρων· καὶ αὐτὸν ἐτίμων, καὶ ἐν θωύματι εἶχον· καὶ τότε μὲν τὴν κοίτην αὐτοῦ ἐποιήσατο Ὅμηρος. Τῇ δὲ ἐσαύριον δ' ἀπο-

[8] Ita legendum pro ἀπαμβλύνεται, quod habent Edit. Florent. MS. Baroec. Aldin. 3tia. & Argentorat. 2. cum polyſyllaba oxytona in ύνω producunt penultimam in præſenti & imperfecto.

[9] MS. Barocc. ἐπεὶ δ' ἦλθεν, ſed alterum quod exhibent Editt. Florent. Aldin. 3. & Argentorat. 2. magis Ioniſmum ſapit.

[10] Ita Edit. Florent. MS. Barocc. Aldin. 2da. & Argentorat. 2. cum duplici ν. primus dedit Aldus cum ſimplici ν in 1ma & 3tia.

[11] Edit. Florent. contra metrum αὐτάρ. cæteræ omnes ἀτάρ.

[12] Copulativam optimè dedit MS. Barocc. malè omiſſam ab Edit. Florent. aliiſque.

[13] Iterum Edit. Florent. MS. Barocc. Aldin. 2da. & Argentorat. 2. cum duplici ν, Aldus in 1ma & 3tia cum ſimplici.

ἀποπορευόμενον ἰδόντες κεραμέες τινὲς, κάμινον ἐγκαίοντες [14] κεράμȣ λεπ]ȣ̃, προσεκαλέσαντο αὐτὸν, πεπυσμένοι ὅτι σοφὸς εἴη, κ̀ ἐκέλευόν σφιν ἀεῖσαι, φάμενοι δώσειν αὐτῷ τȣ̃ κεράμȣ, κ̀ ὅτι [15] ἂν ἄλλο ἔχωσιν. ὁ δὲ Ὅμηρος ἀείδει αὐτοῖς τὰ ἔπεα τάδε, ἃ καλεῖται κάμινος.

Εἰ μὲν δώσετε μιϑὸν, ἀείσω, ὦ κεραμῆες.
Δεῦρ' ἄγ', Ἀϑηναίη κ̀ ὑπείρεχε χεῖρα καμίνȣ.
Εὖ δὲ μελανθείεν κότυλοι κ̀ πάντα μαλ' ἱρά [16].
Φρυχθῆναί τε καλῶς, κ̀ τιμῆς ὦνον ἀρέσϑαι,
Πολλὰ μὲν ἐν ἀγορῇ πωλεύμενα [17], πολλὰ δ' [18] ἀγυιαῖς.
Πολλὰ δὲ κερδῆναι [19], ἡμῖν δὲ δὴ ὥς σφι [20] νοῆσαι [21].

Ἦν

[14] Ita MS. Barocc. ita ſcriptum eſt ſuprà καιομένȣ πυρός. Ita ſæpè Herodotus. ἐγκαίοντες, quod exhibent Editt. Florent. Aldin. 3. & Argentorat. 2. magis Atticum eſt.

[15] Ita conjunctim Edit. Florent. MS. Barocc. Ald. 2da. & Argentorat. 2. primus Aldus in 1ma & 3tia ſeparatim ὅ, τι.

[16] Edit. Florent. & MS. Barocc. ἱερά. primus dedit Aldus ἱρά, quem ſequuntur Argent. aliique, & rectè quum dactylus aut tribrachys non locum habeant in ſexto pede Hexametri, & ἱρὰ pro ἱερὰ Ionicum eſt, ut ex Herodoto diſcitur, frequentique in uſu Homero. πάντα μαλ' ἱρὰ *omnia ſacra admodum*, nempe vaſa.

[17] MS. Barocc. malè πολεύμενα.

[18] Edit. Florent. & MS. Barocc. malè δεναγυιαῖς. metro conſuluit Aldus, quem Argentorat. & alii ſequuntur.

[19] Ita Edit. Florent. & MS. Barocc. Aldin. & Argentorat.

[20] Edit. Florent. & MS. Barocc. iterum malè σφιν. primus reſtituit metrum Aldus.

[21] In omnibus his infinitivis, ne quis offendat in modi mutatione, ſubintelligitur εἴη, vel ἔςω, vel δὸς, aut hujuſmodi aliquod verbum.

Ἦν δ' ἐπ' ἀναιδείην [22] τρεφθέντες ψεύδη [23] ἄρηαθε,
Συγκαλέω δήπειτα [24] καμίνῳ δηλητῆρας.
Σύντριβ' ὁμῶς Σμάραγόν τε [25] καὶ Ἄσβετον [26], ἠδὲ γ' Ἄβακτον [27],
Ὠμόδαμόν θ' ὃς τῇδε τέχνῃ κακὰ πολλὰ [28] πορίζει [29].

Πέρθε

[22] Ita Edit. Florent. MS. Barocc. Ald. 3. & Argentorat. 2. ex Ionum more.

[23] Ita omnes quatuor prædict. quanquam ψεύδε' fateor magis eſſe Ionicum.

[24] Omnes quatuor prædict. habent δ' ἤπειτα, non rectè, cùm præcedat δ' verſu proximo, & ἤπειτα nuſquam legatur niſi præfixâ literâ δ. quare legendum, uti damus, δήπειτα per Craſin pro δὴ ἔπειτα.

[25] In his fictis δηλητήρων, fornacibus *peſtiferorum & nocentium*, nominibus, Edit. Florent. & MS. Barocc. habent μάραγόν τε. ſed vox nauci eſt μάραγος. initialem literam σ evanidam fecit præcedentis dictionis ὁμῶς, in MS. Barocc. cum vitio ὁμος, finalis. σμάραγος autem, unde Homero & Heſiodo in uſu eſt σμαραγέω, Heſiodo etiam σμαραγίζω, eſt *ingens ille ſonitus, quem dat fornax in incendio:* Heſiod. in Theogonia v. 693. ἀμφὶ δὲ γαῖα φερέσβιος ἐσμαράγιζε καιομένη.

[26] Ita MS. Barocc. & Argentorat. ſed Edit. Florent. & Aldin. 3. contra metrum ἄσβεστον, quod magis uſitatum fateor. ſed ut ab χέω, χέσω, fit ἄχετος; ab σπέω, σπέσω, ἄσπετος; ita ab σβέω, σβέσω, formari etiam potuit ἄσβετος, quod, ut ἄσβεστος, eſt *inextinctus*, & propriè refertur ad *ignem*; unde ſatis frequens in ſcriptoribus πῦρ ἄσβεστον.

[27] Ita Edit. Florent. MS. Barocc. Aldin. 3. & Argentorat. 2. formatur à βάζω, *loquor*, & propriè eſt qui *verbum poteſt nullum proloqui*; eoque denotatur figulorum *in incendio ſtupor*, quò ſe vertant, neſcientium. ſequens vox Ὠμόδαμον epitheton eſt *ejus ignis, cujus vi etiam cruda domantur*, argilla non excocta conſumitur.

[28] Ita MS. Barocc. πολλὰ κακὰ contra metrum Edit. Florent. Ald. 3. & Argentorat. 2.

[29] MS. Barocc. πορίζοι. ſed minus rectè, cùm deſit κε vel κεν, quod poſtulat.

Πέρθε πῦρ' αἴθȣσαν ϗ δώματα [30]. σὺν δὲ κάμινος
Πᾶσα κυκηθείη, κεραμέων μέγα κωκυσάντων.
Ὡς γνάθος ἱππείη βρύκει, βρύκοι δὲ κάμινος
Πάντ' ἔντοσθ' αὐτῆς κεραμήϊα λεπτὰ ποιȣ̃σα.
Δεῦρο ϗ, ἠελίȣ θυγάτηρ πολυφάρμακε Κίρκη,
Ἄγρια φάρμακα βάλλε, κάκȣ δ' αὐτȣ́ς τε ϗ ἔργα.
Δεῦρο δὲ ϗ Χείρων ἀγέτω πολέας Κενταύρȣς,
Οἵ θ' [31] Ἡρακλῆος χεῖρας φύγον, οἵ τ' [31] ἀπόλοντο.
Τύπτοιεν τάδε ἔργα κακῶς, τύπτοι δὲ κάμινον [32].
Αὐτοὶ δ' οἰμώζοντες ὁρῴατο ἔργα πονηρά [33].
Γηθήσω δ' ὁρόων αὐτῶν κακοδαίμονα τέχνην.

Ὅς

[30] Ita damus cum Barneſio. ſed MS. Barocc. Editt. Florent. Aldin. 1ma, 2da & 3tia, & Argentorat. 2æ, πέρθε πυρα:θȣσαν malè.

[31] Ita cum MS. Barocc. & Editt. recentioribus ſeparatim edimus, non cum Editt. omnibus vetuſtioribus conjunctim οἵθ' οἵτ'; cùm hîc loci ſerviant diviſioni, non uſurpentur pro ſimplici *qui*.

[32] Ita MS. Barocc. Editt. Florent. Aldin. 1ma, 2da & 3tia, & Argentorat. 2. omnes uno ore, nempe Χείρων. Cæteri Centauri figlina opera malè verberent, tundant; ipſum caminum dux eorum Chiron. Pro hoc tamen recentiores τύπτοι δὲ κάμινος.

[33] Editt. omnes vetuſtiores neglexerunt punctulum ω ſubſcriptum in ὁρώατο. In fine etiam vocis πονηρὰ gravem habent MS. Barocc. & Edit. Florent. item Argentorat. 1ma. Primus acuit Aldus.

Ὃς δὲ χ᾽ ὑπερκύψει [34], περὶ τȣ́τȣ [35] πᾶν τὸ πρόσωπον
Φλεχθέιη, ὡς πάντες ἐπίσαιντ᾽ αἴσιμα ῥέζειν.

Κ Ε Φ. ΙΑ΄.

Παραχειμάζων δὲ ἐν τῇ Σάμῳ, ταῖς νȣμηνίαις προσπορευόμενος πρὸς τὰς οἰκίας τὰς εὐδαιμονεστάτας ἐλάμβανέ τι, ἀείδων τὰ ἔπεα τάδε, ἃ καλεῖται Εἰρεσιώνη. (ὡδήγȣν δὲ αὐτὸν, καὶ συμπαρῆσαν ἀεὶ τῶν παίδων τινὲς τῶν ἐγχωρίων)

Δῶμα προσετραπόμεσθ᾽ ἀνδρὸς μέγα δυναμένοιο,
Ὃς μέγα μὲν δύναται, μέγα δὲ βρέμει ὄλβιος αἰεί.
Αὐτὰρ ἀνακλίνεσθε, θύραι· πλȣ̃τος γὰρ ἔσεισι [36]
Πολλὸς, σὺν πλȣ́τῳ δὲ καὶ εὐφροσύνη τεθαλυῖα [37]

Εἰρήνη

[34] Ita rectè MS. Barocc. malè ὃ δ᾽ ἐχ᾽ ὑπερκύψει Edit. Florent. & Aldina 1ma & 3tia. ὁ δ᾽ ἐχὑπερκύψει Edit. Aldin. 2da. ὃδ᾽ ἐχ᾽ ὑπερκύψει Edit. Argentorat. 2. utraque pejus, peccante metro.

[35] MS. Barocc. Editt. Florent. Aldin. 1ma, 2da & 3tia, & Argentorat. 2. περὶ ταῦτα, ut cum ὑπερκύψει conjungantur contra metrum. pro περὶ Barneſius πυρὶ, emendatione haud neceſſaria cum περὶ à φλεχθείη per Tmeſin abſtrahatur.

[36] Ita rectè MS. Barocc. Edit. Florent. omneſque vetuſtiores ἔισεισι contra metrum.

[37] Ita rectè MS. Barocc. Edit. Florent. εὐφροσύνητε θηλυῖα. Aldin. 2da & Argentorat. 2. εὐφροσύνη τεθηλυῖα. Aldin. 1ma & 3tia εὐφροσύνη τε θηλυῖα. omnes malè peccante metro.

Εἰρήνη τ᾽ ἀγαθή. Ὅσα δ᾽ ἄγϛεα μεϛὰ μὲν εἴη,
Κυρϐαίη δ᾽ αἰεὶ κατὰ καρδόπϐ ἕρποι [38] μάζα.
Τῦ παιδὸς δὲ γυνὴ κατὰ διφράδα βήσεται ὔμμιν,
Ἡμίονοι δ᾽ ἄξϐσι κραταίποδες [39] ἐς τόδε δῶμα.
Αὐτὴ δ᾽ ἱςὸν ὑφαίνοι [40] ἐφ᾽ ἠλέκτρῳ βεϐαυῖα.
Νεῦμαί σοι, νεῦμαι ἐνιαύσιος, ὥςε χελιδών.
Ἕςηκ᾽ ἐν προθύροισι. ϗ εἰ δώσεις τι, ϗ εἰ μὴ [41],
Οὐ μενέω. ὐδ᾽ ἤλθομεν ἔνθα συνοικήσοντε [42].

ἤδετο δὲ τάδε ἐν τῇ Σάμῳ, ἐπὶ πολὺν χρόνον, ὑπὸ τῶν παίδων, ὅτε ἀγείροιεν ἐν τῇ ἑορτῇ τῦ Ἀπόλλωνος.

[38] Ita legitur in MS. Barocc. Edit. Florent. & omnibus veteribus, ut ſit verſus σπονδαίζων, non ἕρπεο cum recentioribus, & melius convenit modo & tempore cum præcedenti εἴη.

[39] Malè MS. Barocc. κραταιποδας, ut Edit. Florent. ἄξϐσιν. Rectè, uti editur, Aldina cæteræque omnes.

[40] MS. Barocc. Edit. Florent. cæteræque vetuſtiores malè tranſpoſitis verbis ὑφαίνοι ἱςὸν.

[41] MS. Barocc. ϗ εἰ μὲν τι δώσεις, εἰ δὲ μὴ,——Edit. Florent. καὶ ει μέντοι δώσεις, εἰ δὲ μὴ conſentientibus Ald. 1ma & 2da & Argentorat. 2. niſi quod comma in fine additur. Aldin. verò 3tia ϗ ει μεντοι δώσοις, ει δὲ μὴ,——ad primum Lectio, quam damus, proximè accedit.

[42] MS. Barocc. Οὐχ ἑςήξομεν· ὐ γὰρ συνοικήσοντε ἐνθαδ᾽ ἤλθομεν. quicum conſentit Edit. Florent. cæteræque omnes noſtræ vetuſtiores. Ουχ ἑςήξομεν videtur eſſe ſubſtitutum ex ſuperiori verſu ἕςηκ᾽ ἐν προθύροισι, pro quo Οὐ μενέω magis eſt Homericum; cæterorum ferè verborum tantùm ordo eſt inverſus.

ΚΕΦ. ΙΒ΄.

Περὶ Ὁμήρου τελευτῆς.

ἈΡΧΟΜΕ΄ΝΟΥ δὲ τοῦ ἔαρος, ἐπεχείρησε πλεῖν Ὅμηρος εἰς τὰς Ἀθήνας ἐκ τῆς Σάμου. καὶ ἀναχθεὶς μετά τινων ἐγχωρίων ἀπηνέχθη εἰς τὴν Ἴον, καὶ ὡρμίσθησαν οὐ κατὰ πόλιν, ἀλλ᾽ ἐπ᾽ ἀκτῆς. συνέβη δὲ τῷ Ὁμήρῳ κατὰ πολύ τι ἄρξασθαι μαλακῶς ἔχειν· ἐκβὰς δὲ [43] ἐκ τοῦ πλοίου, ἐκοιμᾶτο ἐπὶ τῆς κυματωγῆς ἀδυνάτως ἔχων. πλείους δὲ ἡμέρας ὁρμούντων αὐτῶν δι᾽ ἀπλοΐην [44], καταβαίνοντες αἰεί τινες τῶν ἐκ τῆς πόλιος ἀπεσχόλαζον παρὰ τῷ Ὁμήρῳ, καὶ ἐν θωύματι εἶχον αὐτὸν ἀκούοντες αὐτοῦ. Τῶν δὲ ναυτέων καὶ τῶν ἐκ τῆς πόλιος τινῶν ἡμένων παρὰ τῷ Ὁμήρῳ, κατέπλωσαν παῖδες ἁλιῆες τὸν τόπον, καὶ ἐκβάντες ἐκ τοῦ ἀκατίου, προσελθόντες αὐτοῖς, τάδε εἶπον· Ἄγετε ὦ ξένοι, ἐπακούσατε ἡμέων, ἂν ἄρα δύνησθε διαγνῶναι, ἅσσ᾽ ἂν ὑμῖν εἴπωμεν. καί τις τῶν παρεόντων ἐκέλευε λέγειν. οἱ δὲ εἶπαν· Ἡμεῖς, ἅσσα [45] εἵλομεν, κατε-

β΄

[43] MS. Barocc. δ᾽, ſed Edit. Florent. cum cæteris omnibus δὲ, quod magis Ionicum eſt.

[44] Ita Edit. Florent. & omnes vetuſtiores. MS. Barocc. cum recentioribus ἀπλοίην. ſed illud alterum magis eſt Ionicum.

[45] In MS. Barocc. ſcribitur ἅττα (ας superscript) utrumque eâdem manu ſcriptum.

κατελίπομεν· ἃ δὲ μὴ εἵλομεν, φέρομεν. οἱ δέ φασι[46] μέτρῳ εἰπεῖν αὐτȣ̀ς,

Ἄσσ'[47] ἕλομεν, λιπόμεσθα. τὰ[48] δ' ȣ̓χ ἕλομεν, φερόμεσθα.

ȣ̓ δυναμένων δὲ τῶν παρεόντων γνῶναι τὰ ῥηθέντα, διηγήσαντο οἱ παῖδες, ὅτι ἁλιεύοντες ȣ̓δὲν ἐδύνατο ἑλεῖν, καθήμενοι δὲ ἐν γῇ ἐφθειρίζοντο. καὶ ὅσȣς μὲν ἔλαβον τῶν φθειρῶν, κατέλιπον· ὅσȣς δὲ μὴ ἐδύναντο, ἐς οἴκȣς ἀπεφέροντο. ὁ δὲ Ὅμηρος ἀκȣ́σας ταῦτα, ἔλεξε τὰ ἔπεα τάδε.

Τοίων γὰρ πατέρων ἐξ αἵματος ἐκγεγάατε,
Οὔτε βαθυκλήρων, ȣ̓́τ' ἄσπετα μῆλα νεμόντων.

Ἐκ δὲ τῆς ἀσθενείας ταύτης συνέβη τὸν Ὅμηρον τελευτῆσαι γ' ἐν Ἴῳ, ȣ̓ παρὰ τὸ μὴ γνῶναι τὸ παρὰ τῶν παίδων ῥηθὲν (ὡς οἴονταί τινες) ἀλλὰ τῇ μαλακίῃ. τελευτήσας δὲ ἐν τῇ Ἴῳ αὐτȣ̃ ἐπ' ἀκτῆς ἐτάφη ὑπό τε τῶν συμπλεόντων καὶ τῶν

[46] Ita MS. Barocc. ſed Edit. Florent. cum cæteris vetuſtioribus φασιν malè ſequente conſona.

[47] MS. Barocc. ἀσ malè cùm ſequatur τὰ & φθεῖρες ſunt maſculini generis.

[48] Ita MS. Barocc. ſed Edit. Florent. cum cæteris vetuſtioribus ἃ, at Manuſcripti Lectio magis eſt Ionica.

Digitized by Google

πολιητέων[49], ὅσοι ἐν διαλογῇ[50] ἐγεγένηντο[51] αὐτῷ. καὶ τὸ ἐλεγεῖον τόδε ἐπέγραψαν Ἴηται ὕστερον χρόνῳ πολλῷ, ὡς ἤδη ἥ τε ποίησις ἐξεπεπλώκεε καὶ ἐθαυμάζετο ὑπὸ πάντων, οὐδὲ Ὁμήρου ἐστίν.

Ἐνθάδε τὴν ἱερὴν κεφαλὴν κατὰ γαῖα κάλυψεν[52],
Ἀνδρῶν ἡρώων κοσμήτορα θεῖον Ὅμηρον.

ΚΕΦ. ΙΓ΄.

Περὶ Ὁμήρου γένους.

ΟΤΙ δὲ ἦν Αἰολεὺς Ὅμηρος, καὶ οὔτε Ἴων, οὔτε Δωριεὺς, τοῖς τε εἰρημένοις δεδήλωταί μοι, καὶ δὴ καὶ τοῖσδε τεκμαίρεσθαι παρέχει· ἄνδρα ποιητὴν τηλικοῦτον εἰκός ἐστι, τῶν νομίμων τῶν παρὰ τοῖς ἀνθρώποις[53] ποιοῦντα ἐς τὴν ποίησιν, ἤτοι τὰ κάλλιστα ἐξευρόντα[54] ποιέειν, ἢ τὰ ἑωυτοῦ

πάτρια

[49] Ita MS. Barocc. pro τῶν πολιτέων, quod eſt in Edit. Florent. cæteriſque omnibus.

[50] Ita MS. Barocc. Edit. Florent. cæteriſque omnibus præter Barneſium, qui διαλλαγῇ habet.

[51] Ita MS. Barocc. confirmante Edit. Florent. niſi quod typographico errore edatur ἐγένηντο, unde tamen Aldus & omnes poſt eum dederunt ἐγένοντο.

[52] Ita MS. Barocc. juxta illud Homeri Iliad. ξ. 114. Τυδέος, ὃν Θήβῃσι χυτὴ κατὰ γαῖα κάλυψε. Edit. Florent. cæteræque omnes καλύπτει.

[53] Ellipſis eſt vel præpoſitionis ἐκ vel nominis τινά.

[54] Id eſt *aut quàm pulcberrima potuit invenire.*

ϖάτρια ἐόντα. ἤδη τοίνυν τὸ ἐνθένδε αὐτοὶ τῶν ἐπέων ἀκούοντες κρινεῖτε. ἱεροποιΐην γὰρ, ἣ τὴν κρατίστην ἐξευρὼν ἐποίησεν, ἢ τὴν ἑωϋτοῦ ϖατρίδι [55] ϖροσήκουσαν. λέγει γὰρ ὧδε.

Αὖ ἔρυσαν μὲν ϖρῶτα ϗ ἔσφαξαν ϗ ἔδειραν,
Μηρούς τ' ἐξέταμον, κατά τε κνίσση ἐκάλυψαν,
Δίπτυχα ϖοιήσαντες, ἐπ' αὐτῶν δ' ὠμοθέτησαν.

ἐν τούτοις ὑπὲρ ὀσφύος οὐδὲν εἴρηται, ἣ ἐς τὰ ἱερὰ χρέονται· μουνώτατον γὰρ τῶν Ἑλλήνων τὸ Αἰολικὸν ἔθνος οὐ καίει ὀσφύν. δηλοῖ δὲ ϗ ἐν τοῖσδε τοῖς ἔπεσιν, ὅτι Αἰολεὺς ὢν τοῖς νόμοις τοῖς τούτων ἐχρῆτο.

Καῖε δ' ἐπὶ σχίζης ὁ γέρων, ἐπὶ δ' αἴθοπα οἶνον
Λεῖβε. νέοι δὲ ϖαρ' αὐτὸν ἔχον ϖεμπώβολα χερσίν.

Αἰολέες γὰρ μόνοι τὰ σπλάγχνα ἐπὶ ϖέντε ὀβελῶν ὀπτῶσιν, οἱ δὲ ἄλλοι Ἕλληνες ἐπὶ τριῶν· ϗ γὰρ ὀνομάζουσιν οἱ Αἰολεῖς τὰ ϖέντε, ϖέμπε. Τὰ οὖν ὑπὲρ τῆς γενέσιος ϗ τελευτῆς, ϗ βίου, δεδήλωταί μοι.

ΚΕΦ.

[55] Ita optimè MS. Barocc. malè Edit. Florent. ϖατρίδα & qui eam ſequuntur omnes uſque ad Gronovium, qui vix meliùs τῇ ϖατρίδι. oppoſitas enim habemus ἱεροποιΐην τὴν κρατίστην & τὴν ἑωϋτοῦ ϖατρίδι ϖροσήκουσαν.

ΚΕΦ. ΙΔʹ.

Περὶ ἡλικίης τῆς Ὁμήρου.

ΠΕΡΙ` δὲ ἡλικίης τῆς Ὁμήρου, ἐκ τῶνδ' ἄν τις ἐπισκεπτόμενος ἀκριβῶς καὶ ὀρθῶς λογίζοιτο. ἀπὸ γὰρ τῆς εἰς Ἴλιον στρατείας, ἣν Ἀγαμέμνων καὶ Μενέλαος ἤγειραν, ἔτεσιν ὕστερον ἑκατὸν καὶ τριάκοντα, Λέσβος ᾠκίσθη κατὰ πόλεις, πρότερον ἐοῦσα ἄπολις. μετὰ δὲ Λέσβον οἰκισθεῖσαν ἔτεσιν ὕστερον εἴκοσι, Κύμη, ἡ Αἰολιῶτις καὶ Φρικῶτις καλεομένη, ᾠκίσθη. μετὰ δὲ Κύμην ὀκτωκαίδεκα[56] ἔτεσιν ὕστερον, Σμύρνα ὑπὸ Κυμαίων κατῳκίσθη, καὶ ἐν τούτῳ γίνεται Ὅμηρος. ἀφ' οὗ δὲ Ὅμηρος ἐγένετο, ἔτεά ἐστιν ἑξακόσια εἰκοσιδύο μέχρι τῆς Ξέρξεω διαβάσεως, ἣν, στρατευσάμενος ἐπὶ τοὺς Ἕλληνας καὶ ζεύξας τὸν Ἑλλήσποντον, διέβη[57] ἐκ τῆς Ἀσίας ἐς τὴν Εὐρώπην. ἀπὸ δὲ τούτου ῥηϊδίως ἐστὶν ἀριθμῆσαι τὸν χρόνον, τῷ ἐθέλοντι ζητεῖν, ἐκ τῶν Ἀρχόντων Ἀθήνησι. Τῶν δὲ Τρωϊκῶν ὕστερον γέγονεν Ὅμηρος, ἔτεσιν ἑκατὸν ἑξηκονταοκτώ.

[56] ὀκτὼ καὶ δέκα ſeparatim MS. Barocc.

[57] MS. Barocc. διέμη, nec tamen vitioſa Manuſcripti Lectio eſt. vide pag. 27. in not. lin. 3.

HERO-

HERODOTI
DE VITA
HOMERI
LIBELLUS.

CAP. I.

HErodotus Halicarnaſſeus de natalibus, ætate, atque vitâ Homeri iſta in memoriam contulit, conatus quam veriſſime referre. Quum enim illa quondam Æolum civitatis Cyme conderetur, eodem cum aliæ omnis Græci generis gentes confluxerunt, tum è Magneſia & alii, & inter hos Melanopus Ithagene Crithonis filio genitus, homo fortunæ non perinde amplæ, ſed arctæ & expeditæ. Hic Melanopus in iſta Cyme Omyretis filiam duxit uxorem, procreavitque inde fæmineam prolem, cui nomen indidit Critheidem. Et ipſe Melanopus quidem unà cum uxore vita functus eſt; commiſſa interim filia Cleanactis Argivi tutelæ, quo familiariſſime uti conſueverat. Porro tempore interjecto accidit, ut puella iſta è furtivo concubitu prægnans fieret: Id quod primo ſuppreſſum quum Cleanax reſciviſſet, vehementer rei indignitate commotus, Critheidem ſeorſum ad ſe arceſſitam acerbè objurgavit, commemorans quæ futura eſſet apud populares infamia. Poſtremò hujuſmodi quippiam de illâ excogitat. Cymæi tum in Hermæi ſinus receſſu ædificabant. Civitati autem, quæ condebatur, nomen impoſuit Smyrnam Theſeus, ab uxoris nomine, cujus memoriam,

riam relinquere volebat. Hic Theſeus ex primariis Theſſalorum fuit, qui Cymen condiderant, ab Eumelo Admeti filio oriundus, vitæ facultatibus apprime inſtructus. Clam exportatam huc Critheidem Cleanax Iſmeniæ Bœotio commiſit, ex iis, qui coloniam illuc duxerant, & in primis ſibi amico. Progreſſu deinde temporis, Critheis cum aliis mulieribus ad feſtum quoddam egreſſa, juxta fluvium Meletum, quum partui jam vicina eſſet, Homerum peperit non cæcum, ſed videntem; nominavitque eum Meleſigenem à fluvio.

CAP. II.

Quum autem apud Iſmeniam Critheis antea diverſata eſſet, ab eo digreſſa, manuaria induſtria ſe filiumque aliebat, aliunde alia ſuſcipiens opera; unde filium quoque, quantum potuit, inſtituit. Erat autem eo tempore Smyrnæ quidam nomine Phemius, qui juventuti literas muſicenque aliam univerſam tradebat: hic quum eſſet ſolitarius, Critheidem conduxit, quæ lanas quaſdam pararet, quas à diſcipulis in mercedem acceperat. Illa vero in domo ejus operabatur, multa elegantia multaque frugalitate utens, ut Phemio impenſe placeret: adeo ut tandem eam verbis ad conjugium ſolicitaret, referens cum alia multa quibus ei fidem facere putabat, tum præterea de filio quem foret adoptaturus, qui liberaliter ab ipſo altus inſtitutuſque vir egregius futurus eſſet. Siquidem hunc cernebat jam miram quandam & ingenii & indolis ſpem de ſe polliceri: donec perſuavit illi in hoc conſentire. Meleſigenes cum naturæ bonitate præſtans, tum cura accedente inſtitutioneque, continuo omnes adoleſcentes multum anteceſſit: atque temporis progreſſu vir factus, nihilo erat ipſo Phemio in doctrinâ inferior. Et quum Phemius vitâ functus univerſa ei legâſſet, non multo poſt Critheis quoque fato concedit.

CAP. III.

Meleſigenes itaque ludo præfectus, ſuique jam juris effectus, magnopere ab hominibus conſpiciebatur, & in admiratione erat non apud ſuos modò, verum apud peregrinos etiam, qui illuc conveniebant. Erat enim Smyrna emporium celebre, unde frumenta è vicinis agris abundè convecta exportabantur. Peregrini igitur quum ab opere ceſſarent, Meleſigeni libenter vacabant conſidentes. Commodum inter hos Mentes fuit nauclerus, qui è finibus Leucadis nave ſua huc navigaverat propter frumenta, vir, quantum illa ferebant tempora, & eruditus, & multarum rerum notitia excellens. Hic Meleſigeni perſuaſit, ut relicto ludo ſecum navigaret, accepturus & mercedem & omnia neceſſaria; & quod dum juvenis eſſet, civitates regioneſque ſpectare illi operæ pretium fore duceret. Et per talia potiſſimum eum arbitror pellectum. Forſan enim quoque poeſi jam animam admovere cogitabat. Proinde diſſoluto ludo cum Mente navigavit; & quocunque locorum appellebat, ſtudioſè univerſa perrogabat, quæ forent peculiaria, & inſpiciens reſciſcebat; apparet etiam commentarios eum

de

de ſingulis ſcripſiſſe. Porro quum ex Etruria & Hiſpania delati in Italiam deveherentur, contigit Meleſigenem oculis jam ante ægrum, extremè laborare: ita ut Mentes, in Leucadem trajecturus, eum medicinæ cauſa apud Mentorem Alcimi filium Ithacenſem reliquerit, hominem ſibi vehementer amicum; multis precibus eundem adigens, quò Meleſigenes curam haberet tantiſper, dum è Leucade revertens ipſum reciperet. Mentor verò Meleſigenem ægrotantem ſedulò curavit, vir nimirum facultatibus pollens: quique ob egregiam æquitatem hoſpitalitatemque ex Ithacenſibus maxime prædicaretur. Atque hîc accidit, ut de Ulyſſe multa Meleſigenes percontando cognoſceret. Narrantque ipſi Ithacenſes, tum viſum eum amiſiſſe ibidem: atqui ego affirmare non dubitem tum eundem convaluiſſe, at poſtea apud Colophonem prorſus cæcum factum fuiſſe; id quod ipſi quoque Colophonii mecum fatentur. At vero è Leucade Ithacam reverſus Mentes, Meleſigenem recipit, cum quo inde diu huc illuc circumnavigavit; donec Colophonem appellenti evenerit, ut vetere oculorum morbo tentatus, nequiverit eum effugere, ſed viſu privatus fuerit. E Colophone autem jam cæcus Smyrnam redeuns, ad poëſin ſe convertit.

CAP. IV.

Tempore deinde interjecto, quum Smyrnæ victu neceſſariiſque deſtitueretur, conſtituit Cymen proficiſci: commodumque tranſiens Hermi pratum, ad eum locum pervenit, qui appellatur Novus Murus, Cymæorum coloniam. Qui locus poſt Cymen conditus fuit annis octo. Hic memoratur Meleſigenes, apud coriarii officinam conſiſtens, hæc prima carmina pronunciâſſe;

Hoſpitium præbete viro profugoque vagoque,
Qui ſublimem urbem Cymen, Eriopida prolem,
Radicem incolitis Sardenes alticomantis,
Divini potatis aquam qui fluminis Hermi,
Verticibus torti, pater eſt cui Jupiter ipſe.

Sardena autem mons eſt imminens Hermo fluvio Novoque Muro. At coriario illi nomen erat Tychio, cui continuo auditis verſibus viſum eſt hominem recipiendum. Miſeratus enim eſt miſerum, & oculis mulctatum; juſſitque præſentibus ſecum frui. Ille fuit ingreſſus & conſidens in Sutrina, præſentibus etiam aliis, tum poëſin ſuam oſtendit, & Amphiaraï in Thebas expeditionem & hymnos quos in deos ſcripſerat. Et quum de illis, quæ edebantur ab præſentibus in medium, judicaret, ac ſenſus ſuos, proferret, in admiratione habitus eſt ab auſcultantibus. Atque hactenus apud Novum Murum agens è poëſi victus ſubſidia habebat: oſtenduntque ad mea uſque tempora Neotichenſes locum, ubi ſedens carmina ſua exhibuerit, eumque in magna habent veneratione, ubi etiam populus arbor crevit, quam ab Meleſigenæ adventu in eo dixerunt natam eſſe.

CAP. V.

Porro egeſtate poſtea adactus quum vix alimenta haberet, ſtatuit Cymen ad feliciorem ſucceſſum reverti: Iturusque hæc pronunciat carmina,

Vos me hominum rapide plantæ portetis in urbem,
Quorum animus promptus, pollent qui mente ſagaci.

E Novo igitur Muro proficiſcens venit Cymam, per Lariſſam itinere facto, utpote facillimo: &, ut Cymæi narrant, flagitantibus ejus ſoceris, epigramma hoc ſcripſit Midæ, Phrygiæ regi, Gordii filio, id quod etiam nunc in Cippo monumenti Gordii inſcriptum exſtat,

Ænea ſum virgo, Midæ quæ incumbo ſepulcro:
Dum fluit unda levis, ſublimis naſcitur arbor,
Dum ſol exoriens, & ſplendida luna relucet,
Dum fluvii labuntur, inundant litora fluctus,
Hic conſtanter ago, lacbrymaſque in marmore tincto
Fixa, Midam moneo tumulatum hìc, chare viator.

Cymæ igitur in ſenum conventiculis carmina quæ fecerat oſtentabat, colloquiique ſuavitate auſcultantes oblectans, etiam in ſui admirationem pertrahebat. Intelligens igitur Cymæos poëſin ſuam gratè recipere, & in conſuetudinem audientes ducens, poſtremo hujuſmodi conditione proponit, dicens ſi publicè eum alere vellent, ſe civitatem illorum celeberrimam rediturum. Qui præſentes hæc audiebant, probabant; addentes ſe quoque adjuturos, ſi petitionem ſuam ad ſenatum referret; quod hortabantur eum facere. Meleſigenes his verbis erectus, collecto ſenatu in curiam proceſſit: rogatoque eo, cujus id munus erat, ut in ſenatum duceretur, ille nihil recuſans, ubi opportunum erat, hominem deduxit. Hìc conſiſtens Meleſigenes, eadem verba de alimentis habuit in ſenatu, quæ paulo ante in conventiculis propoſuerat. Ubi dixiſſet, egreſſus ſedebat. Dum autem ſenatores agitarent, quidnam par eſſet homini reſpondere, viſumque eſſet tum ei qui deduxerat, tum aliis ſenatoribus, quotquot in conventiculis eum audierant, petitionem admittendum: unus tantùm è ſenatoribus refertur Meleſigenis poſtulatis calculo ſuo repugnâſſe, interque alia multa hæc quoque commemorâſſe: ſi ſemel ὁμήρους, hoc eſt cæcos, alendos ſuſciperent, futurum eſſe, ut turbam & multam & inutilem haberent. Atque hinc primum Homeri nomen Meleſigeni inditum eſt, ab iſto caſu, nam Cymæi cæcos ὁμήρους appellant. Jamque inde, qui priùs Meleſigenes, nomen obtinuit Homerus. Et extraneos diſcrepare contigit, quum mentionem ejus facerent. Itaque terminata eſt deliberatio ab magiſtratu, non alere Homerum, placuitque id ſere cætero ſenatui. Accedens autem præfectus, & adſidens, ipſi enarravit contrarias petitioni ejus ſententias, & conſulta ſenatûs: utque audiit, his verſibus calamitatem ſuam deplorabat,

Hei

Hei mihi, quam fatum dat Jupiter almus iniquum.
Infanti mihi lac venerandæ ex ubere matris
Præbuit, Æolicæ Smyrnæ, quam martia quondam
Gens Phryconitis, certamine fortis equeſtri,
Condidit ad pelagus, præterlabente Melete.
Docta Jovis proles mecum hinc digreſſa volebat
Carminibus celebrare urbem, quam nomine dicunt
Cymam, quoſque viros intra ſua mœnia claudit:
Illi audire ſacræ ſpreverunt carmina vocis.
Sed quicunque mihi cladem exitiumque paravit,
Non impune feret lævâ quod mente volutat.
At mihi quam dederint naſcenti numina ſortem,
Ægro animo quamvis, certum eſt perferre patique.
Sed jam per ſacræ veſtigia ponere Cymæ
Compita non ſuadet mihi mens, potiuſque remota
Inque peregrina ſedem mihi quærere terra.

CAP. VI.

Cymâ deinde abiens, Phocæam contendit, imprecans interim Cymæis, ne quis unquam inſignis poëta in illâ regione exiſteret, qui Cymæos celebraret. Phocææ autem eodum modo victum paravit, in conventiculis paſſim carmina ſua oſtentans & conſidens. Erat autem eo tempore in illa Theſtorides quidam, qui pueros litteras docebat, homo fidei parum probatæ. Hic, conſideratâ Homeri poëſi, hujuſmodi verbis eum compellavit, paratum ſe inquiens & miniſtrare ei, & victum ſuppeditare, ſi carmina quæ ~~meditatus eſſet, deſcribere pateretur.~~ & alia ſubinde faciens, ad ſe deferret. Homerus, jam miniſterii alicujus atque adeo neceſſariorum indigens, recipiendam hanc conditionem putavit: commoratuſque apud Theſtoridem, minorem illam facit Iliadem cujus initium eſt,

Trojam & Dardaniam canto, quæ mater equorum,
Quæ Danais Mavorte ſatis mala plurima vexit.

Phocaidem quoque quam vocant Phocæenſes, apud ſe conditam ab Homero aiunt. Jam vero Theſtorides, ubi Phocaidem atque alia omnia ab Homero communicata deſcripſiſſet, conſtituit è Phocæâ diſcedere, Homerique poëſin pro ſuâ venditare. Unde factum, ut quum Homeri non perinde curam haberet, ille ad Theſtoridem hujuſmodi ſit uſus diſticho,

Theſtoride, ex multis, mortalibus abdita quæ ſunt,
Mens habet in primis cæcos humana receſſus.

Theſtorides igitur ex Phocæâ Chium conceſſit: ubi erecto ludo, carmina illa pro ſuis evulgans, egregiam ſimul laudem ſibi paravit & fructum. Porro Homerus iterum priſtino more vivere pergebat apud Phocæenſes è poëſi victum habens.

CAP. VII.

Tempore deinde non multo, viri aliquot è Chio eorum periti Phocæam veniunt; & audientes Homeri carmina quæ antea ſæpius in Chio à Theſtoride audierant, indicabant in Chio hæc ipſa à quodam ludimagiſtro pro ſuis cum magno fructu oſtentari. Homerus intelligens continuo Theſtoridem eſſe, toto ſtudio properabat in Chium tranſmittere. Et quum portum adiiſſet neque offendiſſet navem, quæ illuc trajiceret, eſſent autem qui ob Ligna in Erythræam ſolvere pararent, belle convenire videbatur, ſi per Erythræam iter faceret. Accedens igitur nautas, oravit, ut comitem ſe navagationis reciperent, multis blandiſque uſus verbis, quibus, quod deſideraret, perſuaderet. Nautæ admittentes hominis preces, juſſerunt navem eum conſcendere. Quo impetrato Homerus confidens in navi, his verſibus nautis bene precatur,

Audi, qui pelagus valido Neptune tridenti
Imperioque regis, ſpatioſaque culta Heliconis;
Da precor his nautis reditum, ventoſque ſecundos,
Qui mihi ſunt comites placidi, naviſque magiſtri:
At mihi da miſero ſacram contingere terram,
Aërius qua parte Mimas ad ſidera ſurgit,
Inde hominis juſti me fac ſuccedere tectis,
Ulſciſcique virum qui me improbitate feſellit,
Læſit & hoſpitii ſacra jura Jovemque benignum.

Ubi autem ſecundo vento appuliſſent Erythræam, Homerus in navi diverſatus eſt. Poſtero autem die rogavit, ut nautarum aliquis ad urbem eum duceret. Illi unum è ſuis ſimul miſerunt. Quumque jam pergendo ad Erythræam propinquâſſet, quæ eſt aſpera atque montoſa, in hæc prorupit carmina,

O ſacra multorum largitrix terra bonorum,
Quam tu plana aliis & parte equalis ab omni,
Aſpera contrà aliis in quos converteris iram.

Ingreſſus deinde Erythræorum urbem, percontatur de navigatione verſus Chium. Et cum forte quidam occurriſſet ſalutaturus, qui eum in Phocæà viderat, ab hoc contendit, ut ſecum diſpiceret ſicubi navis eſſet, qua in Chium tranſmitteret. Et quum in portu nullum eſſet trajectitium navigium, ille Homerum ad eum locum ducit, ubi piſcatoriæ naviculæ ſtationem habebant. Et forte fortuna incidit in quoſdam in Chium trajecturos. Hos adiens ille qui ducebat eum precatus eſt, ut Homerum acciperent. Verùm illi nulla ratione ejus habita ſolvebant. Homerus autem hæc cecinit carmina,

Infidi nautæ, gens diris triſtior ipſis,
Sæva quibus veluti mergis dant æquora victum,
Acritèr à nobis Jovis hoſpitis ara colatur.
Triſtis enim vultus Jovis eſt, pœnæque paratæ,
His quibus hoſpitii non eſt pia teſſera curæ.

At vero in altam jam provectis contigit, ut adverſo vento rapti, eodem unde ſolverant recurrerent, ubi etiamdum Homerum in litoris crepidine conſidentem offenderunt. Qui cognito navis recurſu, hunc in modum eos alloquitur; Vos, o peregrini, ventus adverſus excepit; ſed me nunc quoque admittite & ſecunda vobis erit navigatio. Piſcatores autem, pœnitentia ducti quod priùs hominem non receperant, teſtatique ſe non relicturos eum, ſi velit ſimul navigare, jubent navem conſcendere. Recepto Homero vela faciunt, & iter peragunt.

CAP. VIII.

Quibus ad ſua opera digreſſis, Homerus in litore eâ nocte manſit. Ubi diluxit, itineri ſe accingens & oberrans, ad eum locum pervenit, qui appellatur Pinus: illicque quieſcenti per noctem pini fructus eſt illapſus, quem aliqui ϛρόϐυλον alii κῶνον appellant. Homerus autem hos cecinit verſus,

Funduntur fructus alia magis arbore dulces,
Quam fovet umbroſis felix in collibus Ida:
Hinc ferrum veniet Martis validæque ſecures,
His ubi conſiſtet campis Cebrenia pubes.

Eo enim tempore Cymæi Cebrenia ad Idam montem ædificare parabant, ubi ferrum effoditur. Cæterum illinc abiens Homerus, vocem caprarum ibidem paſcentium ſequutus, in canes incidit: qui cum adlatrarent, vociferabatur. Quod audiens Glaucus, (id enim erat caprario nomen) accurrit feſtinantèr, revocatoſque canes ab Homero excuſſit. Atque ubi diu admiratus fuiſſet, quod nimirùm cæcus exiſtens, ſolus eo locorum perveniſſet & quid vellet, tandem accedens rogabat, quiſnam eſſet, quibuſque modis ad inhabitata illa & non calcata loca divertiſſet, & cujus rei indigens. Homerus, omnem ſuam calamitatem commemorans, ad commiſerationem Glaucum pertraxit. Siquidem homo erat (ut apparet) cordatus. Excipiens igitur Homerum, ad ſuum deduxit tugurium, incenſoque igne cœnam inſtituit: qua appoſita juſſit cœnare hoſpitem. At vero quum canes à cibo abſtinentes non ceſſarent ſuo more cœnitantem adlatrare, Homerus Glaucum his verſibus alloquitur,

Glauce precor, paucis me audi, pareque monenti:
Præ foribus ſtabuli canibus ſua fercula primum
Fac tradas; nam ſic melius. Cuſtodibus illis,
Nec fera nec fures venient ad ſepta doloſi.

Hæc audiens Glaucus, lætatus eſt admonitione illa, habuitque hominem in admiratione. Cœnati autem, ultro citroque habitis ſermonibus oblectabantur. Nam quum Homerus errorem ſuum, civitateſque quas adiiſſet, commemoraret, Glaucus hæc audiens ſtupebat: & tunc quidem, quia cubandi tempus erat, quieti ſe dabat. Poſtero die Glaucus cogitavit ad herumſuum proficiſci, ad hæc de Homero indicanda. Proinde commiſſis con-

conſervo capris paſcendis, Homerum intra tecta reliquit, promittens ſe quam feſtinantiſſimè iturum. Deſcendens autem ad Boliſſum (erat vicinum huic loco) herumque ſuum adiens, narravit de Homero, quemadmodum res ſe habebat, deque ejus adventu, quem pro miraculo duceret: demum rogat, quid facere in eo conveniat. Herus parùm delectatus hoc nuncio, cœpit cum Glauco ut ſtupido expoſtulare, qui quoſlibet mutilos reciperet aleretque; tandem præcepit, ut hoſpitem ad ſe perduceret. Glaucus vero ad Homerum reverſus narravit, juſſitque ſequi ſe in urbem: fore enim hæc ei ad felicem fortunæ ſucceſſum. Quibus non gravatim aſſentiens Homerus, caprarium ſequitur. Hic Chius colloquutus cum Homero reperit hominem eſſe politum & multorum peritum, cœpit ſuadere ei ut apud ſe commoraretur, liberorumque quos habebat adoleſcentes formandorum curam ſuſciperet. Illa accepta conditione pueros ſibi creditos erudivit. Interim Cercopas, Batrachomyomachiam, Epicichlidas, & alia omnia quæcunque juvenilia ludicra Homeri exſtant, apud Chium illum condidit in Boliſſo; ita ut ex poëſi cœperit per urbem inclareſcere. Jam vero Theſtorides utprimum intellexit Homerum adeſſe, navigans è Chio fugam capeſſebat.

CAP. IX.

Deinde progreſſu temporis impetratâ ab hero Chium viſendi copiâ, urbem adit; ludumque illic inſtituens, pueros carmina docebat. Id quum magna dexteritate Chiis facere videretur, etiam multos ſibi admiratores conciliavit, Hinc igitur victum parans copioſum, uxorem duxit, è quâ duas ſuſcepit filias, quarum una deceſſit innupta, alteram viro Chio elocavit. Enimvero hic poëſin excolens, gratiam reddidit, quam habuit; & primum quidem Mentori Ithacenſi, in Odyſſea, ut qui laborantem ex oculis impenſe curaviſſet in Ithaca, ejus nomine poëſi ſuæ inſerto, quem Ulyſſis dicit eſſe ſocium: cujus fidei Ulyſſes Trojam navigans, domum familiamque crediderit; tanquam Ithacenſium præſtantiſſimo atque æquiſſimo. Sæpe etiam aliis poëmatis locis eundem laudibus vehit, ſiquidem Minervam, quoties in ſermonem cum aliquo venit, Mentori tradit aſſimulatam. Ad hæc Phæmio præceptori ſuo gratiam eruditionis ſimul et nutricationis in Odyſſæa retulit, præcipue in his verſibus,

Phæmius at cunctis præſtantior arte canendi
Inſignem Citharam, dederat quam præco, tenebat.

Et rurſum,

Fundere & hanc pulſans modulamina dulcia cœpit.

Meminit & naucleri, in cujus comitatu circumnavigans, urbes locaque plurima perluſtravit. Huic nomen erat Mentæ: cujus meminit his verſibus,

Anchialo Mentes forti genitore creatus,
Imperito Taphiis, quibus eſt ars nautica cordi.

Habuit etiam Tychio coriario gratiam, qui venientem ad ſutrinam apud Novum Murum hoſpitio excepiſſet. Hunc enim Iliadi inſerſit his verſibus,

Com-

Comminus acceſſit clypeo ſeptemplice tutus
Ajax; huic clypeum turris fabricârat ad inſtar
Urbe in Hyle Tychius: non ſutor doctior alter.

A poëſi vero hac inclareſcit Homerus circa Ioniam; jam & in ipſam uſque Græciam de eodem ſermo proſerebatur. Et quum habitaret in Chio multis viſitatum venientibus, eruditionis exiſtimatione augeſcens, inciderunt qui ſuaderent ut in Græciam ſe transferret. Quod conſilium admittens, impenſe cupiebat illuc demigrare. Commodumque intelligens Argos multis egregiiſque elogiis celebratum, Athenas non item, poëſi ſuæ inſerit, in majore quidem Iliade hos verſus, quibus Erechtheum magnifice laudibus vehit, in navium catalogo,

Ortum ab Erechtheo populum: nutriverat illum
Pallas Erechtheum, tellus quem vaſta creârat.

Meneſtheum etiam, ducem Athenienſium trahit in exercitu tam pedeſtri quam equeſtri ordinando peritiſſimum, idque his carminibus,

Hos tunc ducebat patriâ virtute Meneſtheus
Maximus: huic nemo poterat certare regendis
Aut etiam ornandis vel equis, vel in arcta locandis
Agmina militibus.

Ajacem vero Telamonium ipſoſque Salaminios Athenienſibus in navium nomenclatore annumeravit, ſic ſcribens,

Bis ſex è Salamine rates Telamonius Ajax
Egit et adduxit ſtatuens in litore juxta
Cecropias naves.

Poſtremo in Odyſſea Minervam, poſtquam cum Ulyſſe in colloquium venerit, ad Athenienſium urbem, quam præcipue colebat, conceſſiſſe fingit,

Ad Marathona dehinc & magnas venit Athenas
Tectaque Erechthei ſubiit.

CAP. X.

His ubi complevit ſuam poëſin et apta omnia compoſuit, animo in Græciam trajiciendi, Samum appulit: contigitque forte ut eodem tempore Samii Apaturia feſtum agerent. Hic Samius quidam agnito Homero (utpote quem jam ante in Chio vidiſſet,) tribules ſuos adiens, indicavit ejus adventum cum multa hominis celebratione. Tribules vero jubebant adduci eum. Conveniens igitur Homerum Samius, quandoquidem, inquit, Hoſpes, Apaturiorum feſtum agit civitas, invitant te noſtri tribules ad idem feſtum concelebrandum. Homerus adfuturum ſe affirmans, comitatur invitantem. Illuc pergens, in mulieres impegit, quæ Curotropho ſacra in trivio faciebant. Sacrifica occurſantis aſpectu indignata, exclamat, Vir, inquiens, faceſſas à ſacris. Homerus dictum illud in animo volvens, rogabat quiſnam eſſet qui loqueretur, & cui deo ſacrificaretur. Dux ejus indicavit mulierem eſſe, quæ Curotropho ſacrificaret. Quod audiens Homerus hæc carmina protulit,

Dive,

Dive, preces audito meas, mulierque face iſta
Averſata torum juvenili ætate vigentum,
Canorum veterumque ſenum capiatur amore,
Eſt ætas effæta quibus, ſed prompta voluntas.

Ubi vero ad tribulium collegium acceſſit Homerus, jamque in limine conclavis, in quo epulabantur, conſtitit, aliqui narrant jam tum illic ardente igne poëtam ceciniſſe, alii poſtea eos accendiſſe, quàm carmina iſta ceciniſſet,

Ut patris, nati, ſic turres ſunt decus urbis:
Sic & equi campum decorant, ſic æquora naves,
Sic & opes ornant ædes: præſentia regum
Auguſto in ſolio decorat fora lata ſedentum:
At lucente domus multo eſt anguſtior igne.

Ingreſſus autem & accumbens, cum tribulibus epulo fruens, in magno honore admirationeque eſt habitus, ibidemque ea nocte cubile ſibi paravit. Craſtino die conſpicantes eum abeuntem figuli quidam, in furno tenuiorem tegulam coquentes, quum intellexiſſent hominem eſſe eruditum, ad ſe vocantes juſſerunt canere, pollicentes cum tegulas, tum quicquid aliud haberent ſe illi daturos. Homerus hæc illis cecinit carmina quæ vocantur Caminus, id eſt fornax,

Si mihi mercedem dabitis figuli, iſta canemus.
Huc ades o Pallas, dextrâque ſoveto caminum,
Pulchrè ut dureſcant calices, & mollia cuncta
Siccenturque probe, & figulis lucra magna reportent,
Vendita perque forum multa, & per compita multa.
Sic illis quæſtus creſcat, prudentia nobis.
At ſi depoſito juvat irridere pudore,
Huc, precor, ut peſtes veniant quæcunque per orbem
Graſſantur, fundant & in hunc mala multa caminum.
Irruat huc Smaragus, gravis Aſbetus atque Sabactes:
Contere tu, Pallas, flammamque & vaſa camini,
Ille licet rapido multum nunc ferveat æſtu.
Inſuper Omodamus feriatque & damna det arti.
Omnia miſceto, fornacem, vaſa, domumque,
Ut fragor immenſus fiat; figuliſque tremiſcant:
Non ſecus ac malæ crepitu clauduntur equinæ;
Sic ſubitâ fornax crepitetque cadatque ruinâ,
Inque lutum redeant calices & vaſa minuta.
Huc quoque ſolis ades nata, incantare perita,
Inque ipſos & opus tua noxia ſparge venena.
Huc ducat longo Centauros agmine Chiron:
Quique manu Herculeâ cecidere ſuperque fuerunt,
Illi contundant opus omne, ipſumque caminum
In nihilum penitus redigant. Figuli iſta videntes
Plorent; & lachrymis ſpectent ingentia damna.

Digitized by Google

Improbitatis ego ſpectabo hæc præmia lætus.
Denique qui pronus fornacem reſpicit, illi
Flamma vorax faciem circa penituſque perurat.
Sic ſcelus agnoſcent omnes, atque inde cavebunt.

CAP. XI.

At vero in Samo hybernans, calendis beatiorum ædes adiens aliquid accipiebat, canens hæc carmina, quæ Eireſione, hoc eſt, ramalia, vocantur: ducente eum ſemper & comitante aliquot puerorum indigenarum choro,

Venimus ad magnas ædes civemque potentem,
Cujus divitiis reſonat domus atque redundat.
Vos aditum præbete fores: feliciter intrent
Divitiæ, & requies hilaris chariteſque ſequantur:
Vaſa opibus tumeant, nihil hic videatur inane:
Sintque laboratæ Cereris repleta caniſtra.
Excelſo curru nurus hic portetur, & ipſam
Veloci curſu revehant ad limina muli.
Hæc premat Electrum pedibus telaſque laboret.
Aſt ego vos repetam, repetam (mihi crede) quotannis,
Non ſecus atque redit ſub tectum garrula Progne.
Aſſumus in portâ: ſeu munera ferre placebit,
Seu nihil, eſt tamen hinc abeundi certa voluntas,
Non etenim hic habitare diu nec adeſſe paramus.

Atque hæc carmina poſtea in Samo diu à pueris decantabantur, quoties in Apollinis feſto ſtipem colligebant.

CAP. XII.

Ineunte deinde vere moliebatur Homerus è Samo Athenas navigare: ſolvenſque una cum nonnullis incolarum, ad Ion appulit; ubi ſtationem non in urbe, ſed in litore habebant. Hic contigit Homerum graviter ægrotare: egreſſus igitur è nave, in crepidine litoris jacebat invalidus. Quumque diutius illic ob navigandi difficultatem remorarentur, ſubinde quidam, deſcendentes ex urbe, Homero vacabant, eumque audientes, reverenter obſervabant. Jam vero nautis & aliquot è civitate illic apud Homerum conſidentibus, forte pueri piſcatores eo appulerunt: qui è navicula egreſſi, hæc illis verba fecerunt; Agite hoſpites, audite nos, numquid ea quæ vobis proponemus, explicabitis? Ibi è præſentibus quidam jubebat proloqui. Illi, nos, inquiunt, quæcunque cepimus, reliquimus: quæ vero non cepimus nobiſcum portamus. Et quum nemo ex præſentibus interpretari dicta poſſet, pueri explicabant: ſignificantes nimirum ſe, quum piſcium nihil capere poſſent, deſidentes in ſicco pediculos venari tentaviſſe; & horum quotquot cepiſſent reliquiſſe, quos autem nequiverunt, domos retuliſſe. quæ audiens Homerus hæc dixit carmina,

Hi vos, ô pueri, tales genuere parentes,
Nec latis fundis, gregibus neque mille potentes.

Ex hac autem infirmitate extremum diem clauſit Homerus in Io, non (ut arbitrantur aliqui) ænigmatis perplexitate enectus, ſed morbo. Extinctus

vero

vero in Io Homerus, à comitibus ſuis atque civibus qui in colloquio cum eo fuerant, in litore ibidem ſepultus eſt. Cujus ſepulchro multo poſt tempore Ietæ, ubi poëſis ejus jam publicata ab omnibus celebrabatur, hujuſmodi inciderunt carmen elegiacum; neque eſt Homeri;

Condit humus caput hæc ſacrum, qui verſibus arma
Fortia divinis heroüm ornavit, Homerum.

CAP. XIII.

Porro quod Æolenſis fuerit Homerus neque Dorienſis, partim è jam dictis perſpicuum eſſe poterit, partim etiam his conjecturis deprenditur. Siquidem poëtam tantum, qui aliqua ex hominum moribus in ſuam poëſin transferre ſtuduerit, par eſt aut laudatiſſimos excogitaſſe, aut ſuos, quos patrios habebat, commemoraſſe. Jam vero ipſi carmina ejus audientes indidem pronunciabitis. Nam ſacrificii ritum probatiſſimum retulit, aut ipſe eundem excogitavit, aut quod cum patriis inſtitutis conveniret. Sic enim inquit,

Protractas jugulant pecudes, & tergora coſtis
Deripiunt, femorumque toros & crura recidunt,
In parteſque ſecant geminas: tum pinguia nidor
Viſcera nube tegit denſâ.

In his verſibus de iliis nulla mentio, quibus in ſacrificiis tamen utebantur cæteri, præter unam Æolicam gentem quæ ilia non cremabat. Indicat præterea his quoque verſibus, quòd, Æolenſis exiſtens, ſuæ gentis ritibus uſus ſit,

——— ——— ——— *tum ſegmina carnium*
Ipſe focis multo crepitantibus admovet igni
Cruda ſenex, & vina ſuper nigrantia fundit:
Quem verubus quinis juvenes onerata tenentes
Brachia circumſtant.

Æolenſes enim ſoli inteſtina quinque verubus fixa torrebant, reliqui Græci tribus. etenim πέμπε dicunt Æolenſes pro πέντε, id eſt, quinque. Atque hæc ſane de genere vita interituque Homeri à nobis relata ſint.

CAP. XIV.

Cæterum ætatem Homeri ſiquis diligenter rectèque ratiocinetur, ex hiſce facile deprehendet. Nempe ab expeditione, quam Agamemnon & Menelaus in Ilium habuerunt, annis centum poſt atque triginta Leſbus oppidatim haberi cœpit, quum antea nullam prorſus haberet civitatem. Poſt Leſbum habitatam annis viginti Cyme Æolica & Phricotis appellata habitata fuit. Porro à Cyme annis duodeviginti in Smyrnam Cymæi coloniam deduxerunt: quo tempore natus fuit Homerus. Ab Homero autem nato anni ſunt ſexcenti viginti duo ad Xerxis uſque in Græciam trajectum, qui videlicet juncto pontibus Helleſponto cum exercitu ex Aſiâ in Europam tranſivit. Ex his igitur tempus illud calculo colligere facile fuerit ei qui prætorum Athenienſium rationem habuerit. Centum autem & ſexaginta octo poſt Trojanum bellum annis exſtitit Homerus.

VA1 1509071

Digitized by Google

XXIV4
C
75

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google